Z.
II

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
F
24
NAPOLI

Digitized by Google

ed by Google

DE

EPISCOPATU FERETRANO
DISSERTATIO

IN TRES TRIBUTA PARTES.

I. Feretrani Epiſcopatus origo; ſedis locus, aliaque ad ipſum ſpectantia perquiruntur.
II. Acta S. Leonis Diœceſeos Patroni, Sociique illius Marini revocantur ad criſim.
III. Deducitur ad hæc uſque tempora Præſulum ſeries.

STUDIO

F. JO: BAPTISTÆ MARIÆ CONTARENI
ORDINIS PRÆDICATORUM
E CONGREGATIONE B. JACOBI SALOMONII VENETIARUM.



B. R. NAPOLI

VENETIIS,
EXCUDEBAT JOANNES BAPTISTA PASQUALI.

MDCCLIII.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD ILLUSTRISSIMUM, ac REVENDISSIMUM

D. D.

GASPAREM DE NIGRIS
EPISCOPUM PARENTINUM, ET URSARIÆ COMITEM &c.

EPISTOLA.

CUM *probe noſcerem*, ILLUSTRISSIME, *ac* REVERENDISSIME PRÆSUL, *nil antiquius honeſto, proboque Viro eſſe debere, quam ut beneficiorum immemor nunquam, gratum perpetuo animum ſervet, exhibeatque, torquebar ſane, quod infirmis nil ſuppeteret viribus, quo demiſſiſſimi erga te obſequii, quod remota aliorum conſcientia, cœloque duntaxat, teſte, enutriebam, publicum aliquod poſſem, cunctiſque perſpicuum præbere argumentum. Diſſertatiunculam de Epiſco-*

Digitized by Google

patu Feretrano, qualiſcunque ea tandem futura eſſet, nomini tuo nuncupare, tuiſque manibus, cum aliud nequirem, munuſculi dono exhibere jam pridem in votis erat, quam te ſciente, probante adornandam ſuſceperam, cum hac tua Parentina una verſaremur in Urbe, & convictu plane dulciſſimo per quadriennium, & ultra, plures ſuaviſſime horas tranſigeremus. At quæ longa terræ, mariſqne intercapedine abs te diſtractum detinet, nec amplius me gratiſſimo conſortio tuo, ac litterariis colloquiis frui patitur, ęquis votis adverſa ſors, tantum præterea a ſeverioribus curis hucuſque mihi temporis invidit, ut quod jamdiu conceperam, exequi primum nequaquam potuerim. Scis me in eo munere extitiſſe, & eſſe adhuc, quod jure ſuo meliores ſibi poſtulat horas, & ni ſtudio nuncium remittere, ab eo ſaltem diutius vacare jubet. Hinc induſtria uti neceſſe fuit, ut ſubſecivis ſaltem horis, hanc ad umbilicum tandem lucubrationem perducerem; quam tu ad beneficentiam, & humanitatem vere natus Mæcenas, tanquam devicti animi perenne tributum excipias, aut omnigena litteratura refertus Præceptor emendatam reſtituas. Plura fortaſſe, eaque meliora expectabas; at præter ingenium, quod fateor, defuit et ocium, quo argumentum ſimul, & ſpem tuam implere pro meritis poſſem. Tanta præterea non mihi, Cænobioli ab Urbe ſejuncti, Præfecturam gerenti, librorum ſupellex, ut pænitiores eruditionis aditus pro libitu conceſſerit ingredi; quod facile licuiſſet, dum tua nobis patebat Bibliotheca; in qua, quaſi ut aliorum etiam ſtudia tua eſſe poſſint, vel quaſi in omnium ſtudiis ipſe eſſe velis, librorum copiam, ſplendido ſumptu comparatam, exhibes, ut ſtudii opportunitatem te exhibente, cuncti proficiant, & ipſis proficientibus de alieno etiam ſtudio, ipſe qui exhibes merearis. Opuſculi igitur mei, quod ſingulare tuum conſilium expectat, accipe exemplar; ut vel tibi ſoli communicatum, privatiſque recluſum parietibus, eruditum in Orbem prodire non audeat

deat

deat, vel tuo confirmatum judicio, ſecurius lucem aſpiciat. Prius tamen, adhibe limam ut detrahas, ſpongiam ut deleas, calamum, ſi lubet, ut ſuppleas; id enim facilius præſtare potes, quam ut imbecillitas mea enunciare valeat, aut modeſtia tua a me prædicari ſuſtineat. Experimento jam novi, tibi quaſi vulnus inferri dum virtuti tuæ laudis tributum perſolvitur, commendatione enim dignus, commendari recuſas, & quas mereris laudes, audire detrectas. Iis propterea, qui te vel ab immatura ætate humanioribus litteris ſuſcepere imbuendum; Noſtratibus, qui Philoſophiæ, ac Theologiæ per annos plures te habuere auditorem; Patavinis Profeſſoribus, qui tibi juris utriuſque lauream contulere; Clientulis, qui cauſarum Patronum, Præſulibus, qui te Eccleſiaſtico Foro addictum, adhibuere Miniſtrum, quantum in iis ſtudiis profeceris, decantandum relinquam. Rem, jam cunctis, quibus licuit aliquando, litteraria tecum miſcere colloquia, notiſſimam loquerer, ſi te Prophanæ, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ſingolarumque earumdem partium, rei etiam nummariæ, univerſæ tandem antiquitatis cognitione cumulatiſſime ornatum, dicerem. At præſtat hæc omnino non attingere, quam latum campum temere ingreſſi, pedem referre non poſſe, nec orationis exitum invenire. Unum di-am: quod ſi ſemel diſſertationis meæ argumentum inſpicias, præſtantiſſimo nomini tuo merito inſcriptam, optimeque ad tutelam in ſinu tuo collocatam, vel invitus, & nollens neceſſe erit ut fatearis. Feretranam Eccleſiam, prima Epiſcopatus illius origine perquiſita, ſedis loco indigitato, Præſulum ſerie contexta, illuſtrare pro virili hac lucubratione contendo. A te pariter, qui primæ ſponſæ tuæ Emonienſis Eccleſiæ, & Parentinæ, cui modo præſides, & cæterarum quas enumerat Hiſtria, vetuſtis improbo labore eruderatis monumentiis, aliiſque ad rem illam diligentiſſime conquiſitis, omnia juxta temporum ſeriem in ſchedis tuis redegiſti; ſacram ejuſdem Provinciæ Hiſtoriam numeris

ris

Digitized by Google

ris ſuis omnibus abſolutam, litterarius Orbis expectat. Mirabitur hinc jure, nemo, ſi judicio tuo, PRÆSTANTISSIME PRÆSUL, *quem ſimile omnino ſtudium occupat opellam meam lubens ſubmitto. Prono igitur, quo ſoles, animo minimum hoc quidem obſequii mei munus, at non minimæ voluntatis pignus, quod impar dare malui, quam nullum, excipere ne dedigneris. Ipſe vero Deum interim enixe precabor, ut te, tum optimis Gregis tui moribus, tum melioribus promovendis ſtudiis, certiſſime natum, longioribus ætatibus ſervet.*

Dat. Venetiis ex Inſula S. Secundi prid. Kal. Septemb. 1753.

Humillimus, & Addictiſs. Servus
F. JO: BAPTISTA-MARIA CONTARENUS.

DE

DE EPISCOPATU FERETRANO

DISSERTATIO.

I. NE quis jure mirari poſſit, hominem ſub alio, nec parum diſſito, Cœlo natum, de vetuſtis Feretranæ Eccleſiæ ruderibus extumulandis ſollicitum, paucis diſſerendi occaſionem, & ſcribentis conſilium aperiam. Ferme per quadriennium apud nuperrime vita functum Antiſtitem Calvi, ex Ordine noſtro, & hac noſtra Veneta Congregatione aſſumptum, commorati, ut illi a Theologicis conſiliis eſſemus, totam pene Diœceſim, vel inſigniora ſaltem ejuſdem loca, pluries inviſere licuit. Collatione tunc temporis intra noſmetipſos mature inſtituta eorum, quæ oculis noſtris conſpiciebamus, vel eruere ex Archivis potuimus, aut alii nobis humaniſſime communicarunt, cum iis, quæ de memoratæ Sedis origine, conditione, & qui eam inplevere Præſulibus ſcripto nonnulli mandarunt; nil incertitudine, & obſcuritate non involutum, plura imo a vero abludentia, & ad fabulas certe amandanda, Epiſcoporum poſtremo ſeriem admodum perturbatam deprehendimus. Ardens hinc animum cupido occupavit ea ſaltem, eſto admodum pauca, quæ temporis, bellorum, viciſſitudinum injuria non periere, in meliori, ſi Superis placuiſſet, lumine collocandi; inſtituti in Montemferetro Epiſcopatus primordia diligentius perſcrutantes, ubinam, qui ad eas infulas deſignati fuere, ſedem habuerint indigitantes, eorumque tandem exactiorem, abruptam licet aliquando, ad hæc uſque tempora ſeriem deducentes. Hanc ſalebroſam profecto, quæve expedito nequit greſſu percurri, quod in votis jam erat, ut incunctanter Provinciam ingrederemur, calcaria adhibuere Præſul ipſe, aliique veritatis cultores viri. Hæc ſcribendi occaſio fuit, hoc Opellæ noſtræ argumentum. Quod, ut recta methodo pertractetur, ſit

PARS PRIMA.

II. Craſſus in priori Diſſertationis veſtibulo emendandus occurrit error, quem Geographi plures, ac recentiores Hiſtorici, uno aliis craterem fabellis refertum miniſtrante, epotarunt: quod nempe *Monsferetrus* peculiaris dumtaxat Urbis, ſeu Caſtri alicujus nomen fuerit, & ſit; nec alterius quam Oppidi ex Patroni ſui nomine, modo *S. Leo* dicti, & Feretranorum Præſulum, per plura ſæcula, ſedis. En tot pene, quot verba, fabellæ, ſingillatim per nos exſufflandæ. Ultro fatemur quidem, priſcis extitiſſe temporibus ſingularem in ea Regione locum, qui *Monsferetrus* nuncupabatur. Extabat ſane dimidio vertente Sæculo VI. Procopio teſte, qui nonnulla Italiæ loca a Vitigie Militum præſidio munita recenſens, hæc habet: *Caſtella ſunt praterea duo, Cæſena, ac Monsferetrus, in utroque præſidiarios haud minus quingentis conſtituit*. Extabat etiam Sæculo VIII. teſte Anaſtaſio Bibliothecario, de Deſiderio Rege Longobardorum, dicente: *Deſiderius Longobardorum Rex ſuperbiæ, & jactantiæ faſtu levatus.... confeſtim direxit multitudinem exercitus, & occupare fecit fines Civitatum, ideſt Senogallienſis, Montisferetri, Urbini, Eugubii &c.* Extabat adhuc Sæculo Eccleſiæ XI. teſte Cencio Camerario in ſuo Cenſuum libro, ſcribente: *Gregorius junior Lupicino Presbitero duo Monaſteria locavit, ſcilicet S. Leonis Confeſſoris & Pontificis, & S. Severini ſita intra Caſtrum Montisferetri cum omnibus eorum pertinentiis*. Extabat imo ſequentibus, & intermediis ſæculis, ſi notentur, fideſve adhibeatur aliis, quæ ſæpe occurrunt, monumentis.

III. Id unum ergo dumtaxat contendimus, *Montemferetrum* Regionis etiam, ſeu Provinciæ retroactis ſæculis nomen fuiſſe; imo in præſentiarum ſolam Provinciam, non peculiarem locum ſignificare. Et quidem Regionem ipſam fuiſſe elapſis ſæculis eo nomine nuncu-

cu-

cupatam, ſatis evincunt plura ab Ottone I. intra annum 963. data Diplomata, per Cl. Ludovicum Muratorium e latibulis eruta. Tria per extenſum refert Antiquitatum Italiæ Diſſertatione 42, & 70; primum Guidoni Epiſcopo Mutinenſi II. Idus Septembris datum; alterum donationis Curtis Muſeſtræ, Vitali Candiano Veneto, factæ; tertium Canonicis Regienſibus V. Kal. Julii conceſſum, in quorum calce hæc legas: *Actum in Monteferetri ad petram S. Leonis*. Nec abſimile illud, quod Diſſertatione 36. refertur in gratiam Aretinorum Canonicum VI. Idus Maii datum: *In Monte Feretrano ad S. Leonem*. Quis quæſo non advertat, per ea verba: *actum in Monteferetri*, ſive *in Monte Feretrano* Regionem, per ly vero: *Ad petram S. Leonis*, ſeu: *ad S. Leonem* peculiarem Regionis illius locum, in quo ea data fuere, indigitari? Solidum præterea ad id evincendum peti poteſt argumentum ex Diplomate Henrici IV. ad Archiepiſcopum Ravennæ dato anno 1063. Vide Ughelium in Ravenatibus. ſiquidem hæc ad intentum leguntur: *Comitatum etiam Feretranum cum Epiſcopatu ſuo, & Monaſterio S. Salvatoris in ipſo Comitatu poſito &c.* Ex verbis inſuper idem evincitur Præpoſiti Solienſis, a Rodulpho I. in Italiam anno 1278. miſſi, ut fidelitatis juramentum inſcio Imperatore, per ipſius Cancellarium a Populis nonnullis extortum, infirmaret, quæ hæc ſunt: *Inſtrumenta fidelitatis, ſeu alia, quæ Cancellarius ejuſdem Regis a Civibus Bononienſibus, Imolenſibus, Faventinis, Foropompilienſibus, Cæſenatenſibus, Ravennatenſibus, Ariminenſibus, & Urbinatenſibus, Cervienſibus, Forolivienſibus, ac Hominibus Caſtrorum Montisferetri &c.* Hæc certe non Urbem unam, ſed Regionem potius, quæ plura ſinu ſuo caſtra complectatur, ſatis indicant; alias eumdem, quo cæteras Civitates recenſens, dicendi modum ſervaſſet. Evincunt hoc idem poſtremo, duo, præ cæteris Apoſtolica Diplomata; primum Senis datum anno 1443. Oddoni Antonio Feltrio per Eugenium Papam IV, alterum Romæ 1447. Fe-

derico Feltrio per Nicolaum V, quibus ii Vicarii temporales conſtituebantur, per hæc verba, quæ aperte Provinciam, ſeu Regionem deſignant: *Te, quoad vixeris, & poſt tui obitum, Filios .... Vicarios noſtros in temporalibus Generales Civitatum noſtrarum Urbini, Callii, Eugubii, nec non in Montis Cerignonii, Montis Grimani* (alia plurima in Monteferetro exiſtentia loca recenſent) *Terrarum, & Caſtrorum in Montisferetri, Romandiolæ, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, & Spoletani Ducatus Provinciis conſtitutorum &c.* Hæc pauca ex plurimis ſeligere operis duximus pretium, ut aberrantium nonnullorum opinationi occurreretur, qui quæcunque *Montemferetrum* ſpectant, quaſi de peculiari loco tradita, accipienda eſse contendunt. At facile Alienigenis condonandus error, non item Joanni Baptiſtæ Marini, cui res patrias ignorare non licuit, & tamen, quæ de *Monteferetro* dicta nonnihil ſplendoris præſeferre videntur ſuo S. *Leonis* Caſtro, quod idem ac antiquus *Monsferetrus* falſo reputat, Diis invitis, attribuere non veretur. At de hoc paulo infra.

IV. Quod extra omnem dubietatis aleam, apud Incolas ſaltem, poſitum novimus, hoc unum eſt: *Montemferetrum* in præſentiarum ſolam Provinciam ſignificare. Percurrat quiſque totam, qua late patet, inſpiciatque montoſam illam Regionem (ſi cui tamen id unquam eſse poſſit in deliciis) quam nosipſi undequaque luſtravimus, & Urbem nullam, nullum Oppidum, nec Caſtrum, nec Pagum reperiet tali nomine nuncupatum. Perſonabunt ei quidem ad aures plura nomina montium, puta: *Mons Cerignonius, Mons Grimanus, Mons Madius, Mons Taxorum, Mons Fotognus, Mons Cupiolus, Mons Boaginis, Mons Licianus, Mons Gellius, Mons Carpineus, Mons Florentinus, Mons Tiſſorum*, occurrent oculis, verbo dicam ultra octoginta ſive Oppida, ſive Caſtra hinc inde in vertice Collium diſpoſita, aut ſupra, pene impervia Montium cacumina collocata, at

ne

ne veſtigium quidem alicujus *Montisferetri*; ſcietque propterea omnia ea loca, in unum Comitatum coaleſcentia communi nomine *Montemferetrum* vocitari. Fatemur iterum, quod jam ſupra probavimus, extitiſse olim in ea Regione, Urbem ſic appellatam; at illa temporum injuria ita periit, ut nec ulla ipſius veſtigia reliqua ſint, & proprium nomen toti Provinciæ uſurpandum reliquerit. Nec id mirum; præterquam enim quod, & illa communi Italiæ calamitati Barbarorum incurſus, & hoſtiles irruptiones ſæpe perpeſsa ſit: ea eſt peculiaris hujus Provinciæ conditio, ut intimarum aquarum edacitate, vel ſulphureæ materiæ, qua abundat, cauſa, videat ſibi non raro & ſolum ſubtrahi, & Oppida, & Caſtra. Sane vel Hoſtium furori, vel Soli vitio tribuendum, quod vix rudera quædam exſepeliantur antiqui *Petini*, quod in oblivionem abierint: *Monsfalcus*, *Caſtellum Felicitatis*, *Caſtrum Petræ Anellariæ*, quorum meminit Honorius II. in Bulla ad Petrum Feretranum data; quod nec nomen quidem ſuperſit apud Incolas: *Caſtri Serræ*, *Caſtri Foſſæ*, *Villæ Turris Nicolæ*, quæ ex Deſcriptione Cardinalis Anglici, ſæculo quartodecimo labente exiſtebant; quod tandem hoc ipſo vix exorto ſæculo *Majoli* Terra fuerit everſa; unde merito ſuſpicari licet pari modo, iiſdemque de cauſis, & priſcam *Montisferetri* Civitatem periiſse. Qua vero Agri Feretrani, diruta modo, ſeu terræ hiatu abſorpta, priſca Urbs illa conſiſteret, quaſi intento digito ad locum deſignat Capituli Lateranenſis Regeſtum, in quo Eccleſias inter Feretranas, a quibus Canones Baſilicæ illi perſolvebantur, recenſetur Eccleſia quædam *S. Mariæ de Nive Territorii Montis Feltrii in Plebe Corenæ*. Huic momento roboris nonnihil accedit ex conſtanti apud Incolas traditione: *Montemferetrum* dictum fuiſse Montem quemdam ſub *Monte Cupiolo*, qui ſane reſpicit *Plebem Corenæ*, nec longe diſtat a Fundo illo cui vulgo: *Planus Epiſcopi*, *Pian del Veſcovo* nomen eſt.

Digitized by Google

V. At hæc minime arrident Leontinis Civibus, quibus pro Patria pugnantibus ſeſe Ducem præbuit anno 173[illegible]. Joannes Baptiſta Marini ſuo *Apologetico Feretrano* typis Piſaurienſibus in lucem edito. Dictitant ſiquidem illi, mordicuſve ſuſtinet iſte antiquam *Montisferetri* Urbem, mutato licet nomine, ſubſiſtere adhuc, nec aliam eſse, ab ea, cui nomen in præſentiarum *S. Leo*. Actum profecto nonniſi reagere eſset hoc Marinianum, ſeu Leontinum commentum pluribus refutare; cum id anno 1734. Venetis typis jam egregie præſtiterit Petrus Antonius Calvi Epiſcopi ex Fratre Nepos. Hinc nonnulla tantum ex multis, eaque leviori calamo attingam. In primis quandonam *S. Leonis* oppidum *Montisferetri* nomen obtinuerit, certe deſignare non eſt. Ante enimvero S. *Leonis* adventum, Mons ille, Leontinis teſtibus *Mons Felicianus* vocitabatur: Viro Dei ad Superos evolato, Accolæ, & Finitimi populi, ejus ſanctitatis, & miraculorum fama excitati, locum illum ſolitarium inviſere, domos ædificare, Vicum conſtruere cæperunt, cui ex Sancto, qui diu inibi latitaverat *S. Leonis* nomen dedere. Hæc pariter ex Leontinorum ſcripturis Romæ productis, accepimus. Doceant nos igitur ipſi, quo tempore Mons ille, & patrium ipſorum Caſtrum dictum fuerit *Monsferetrus*. Inſuper ſi unus, idemque locus eſset *Monsferetrus*, & *S. Leo*, mirum ſane quod nunquam formulam illam adhibuerint Romani Pontifices, qua Civitates duplici nomine nuncupatas, recenſentes, uti ſolent; puta: *S. Angelus Papalis, alias Callium, Civitas nova, alias Emona*, dicentes pariter: *Monsferetrus alias S. Leo*. Cur potius e contra ſcribere ſolent: S. *Leo Montisferetri*, ſeu *Feretranæ Diæceſis*? quod ſi unus ac idem locus eſset, æque abſurdum appareret, ac ſi diceretur: *Callium Callienſis Diæceſis; Ariminum Ariminenſis Diæceſis*. Diſtinguendum poſtremo eſſe *Montemferetrum* a S. *Leonis* Oppido, ſatis edocent Ottoniana memorata Diplomata, his verbis ſignata: *Actum*

in

in Monteſeretri ad petram S. Leonis; *Actum in Monte Fere-tro ad* S. *Leonem*.

VI. Plura profecto ſuppeterent ſi vetuſtis, probatæque fidei monumentis foret dimicandum, nec hoſtem haberemus Marinium, qui Auctorum potius ſibi comparata ingenti claſſe terrere, ac plurimis coacervatis nominibus, diſſentientes pene obruere contendit. At pace ipſorum dixerim, ſi unum Luitprandum Ticinenſem excipias, cæterorum, ſi dubia fides, ſi recens nimium ætas, ſi verba ipſa facillimam explicationem admittentia, penſentur, tam parum nos urget auctoritas, ut eos ſingillatim refellere tempus eſſet, & operam perdere. Unum excepimus Luitprandum, cui nimis ex eo fidit Marinius, quod Ottonis Imperatoris Montemferetrum perſonaliter obſidentis, ſeu potius, ut alii ſcripſere, Berengarii Italiæ Regis, in Monteferetro obſeſſi, inter Aulicos exiſtebat; quique libro 6. capite 6. hæc ſcripſit: *His expletis, Papiæ navem conſcendit, ac per Eridani alveum Ravennam uſque pervenit, indeque progrediens Montem Feretratum, quod Oppidum S. Leonis dicitur, in quo Berengarius, & Willa erat obſedit*. Hæc Luitprandus, quibus cæteris a veritate aberrantibus ita facem prætulit, ut illo ab Adverſariorum, acie ſubducto Duce, totam eorum claſſem diſſipari conſequens ſit. Et id quidem facili omnino negotio & citra conatum ullum obtineri poterit, ſi plura penſentur. Primo quidem: ſub judice lis pendet adhuc, inter criticæ peritos viros, jamdiu excitata, num caput illud ſextum, in quo ea verba leguntur, nec non ſequentia Libri ſexti poſtrema capita Luitprandum auctorem habeant, vel alium potius Luitprandi Continuatorem; quod ex ſtili præſertim diſſimilitudine, probabilius cenſet Muratorius. At fuerit etiam eorum ſcriptor Luitprandus, immerito tamen, ut ocularem rerum teſtem ipſum adhibuit Marinius, quaſi Ottonis, ſeu Berengarii tunc etiam temporis ſtaret a ſecretis. Ea Ar-

cis

Digitized by Google

cis S. Leonis obſidio contigit anno 963, quo Luitprandus jam Cremonenſis Epiſcopus renunciatus fuerat, ut conſtat ex Synodo Romana, cui interfuit, contra Joannem XII; & ex ipſius Luitprandi verbis, citato capite de ſe loquentis. Quinimo: quinquennio ante, anno ſcilicet 958. a Berengario exulare juſsus, & facultatibus expoliatus, ſibique pejora extimeſcens Luitprandus, ſeſe in Germaniam apud Francofurdium receperat, & ibi ſuam eo tempore concinnavit Hiſtoriam. Integrum autem percurratur, ſi quaſi liceat per ocium, Luitprandi Volumen, quod Italiæ annales editurus præſtitit Muratorius, & paſſim a veritate toto oſtio aberrantem illum deprehendere erit, in iis præſertim, quæ vel temporum intervallo, vel locorum ſpacio ab eo diſtabant. Inde non mirum, ſi Luitprandus Cremonæ iis diebus, ſeu Romæ degens, deque Ottoniana militari expeditione contra Berengarium ſcribens, oſcitanter unum, obſcurioris profecto famæ, locum præ alio, ſeu diſſitæ Regionis nomen pro ſingulari Caſtro uſurpaſset. Verum ne hoc quidem ultro concedimus, ſi juxta Grammaticas Leges Luitprandi verba accipiantur. Non dixit quod Otto Imperator: *progrediens Montem Feretratum*, QUI *oppidum S. Leonis dicitur obſedit*, ut ſenſus ſit unum, idemque Oppidum, & *S. Leonem*, & *Montem Feretratum* nuncupari; ſed ait: *progrediens Montem Feretratum* QUOD *oppidum S. Leonis dicitur, in quo Berengarius, & Willa erat, obſedit*. Quæ verba, relativo ly *quod* rite tranſpoſito alium omnino ſenſum reddunt: nempe, quod Otto progrediens Montem Feretratum obſedit Oppidum, quod dicitur S. Leonis, in quo erat Berengarius, & Willa. Hac ſane nil violenta, minimeque diſtorta ſemel admiſsa verborum Luitprandi interpretatione, everti funditus, potiuſquam firmari Adverſariorum ſententiam, quis quæſo non videat? At legentium abuti patientia eſset, diutius in his immorari.

VII.

VII. *Mons* igitur *Feretrus* ſubaſpera quidem, at non ignobilis Provincia eſt, ab Jove Feretrio inibi, ut dictitant, a priſca Gentilitate culto, ſic nuncupata; cujus ſitus ad Lævam eſt ſub Apennino inter Hetruriam, & Æmiliam a Mari Adriatico, & Alpium cacumine æque circiter diſtans; cujus ambitus ad centum prope milliaria, cujus fines ab Oriente cum Diæceſibus *Urbini*, & *Urbaniæ*, a meridie cum S. *Angeli in Vado*, & *Burgi S. Sepulchri*, ab Occidente cum *Sarſinatenſi*, ab Aquilone tandem Adriaticum verſus cum *Ariminenſi* conterminat. De hac ſua patria Regione, quam Colles plurimi, excelſique Montes, ſingularibus nominibus inſigniti, & in unum commune *Montisferetri* convenientes, componunt, hæc ſcripto tradidere Jacobus Conticillus J. U. D. & in Cathedrali Feretrana Archidiaconus, quique illi in vetuſtis evolvendis monumentis amicam porrexit dexteram Joannes Baptiſta Maſtinius antiquior in eadem Cathedrali Canonicus: *Monsferetrus eſt Regio, ſeu Provincia nobilis inſignium olim Oppidorum, & fortium Caſtrorum multitudine dives, tota quaque verſus montibus, & collibus velut conſita.... Ager quamvis ut plurimum montoſus, non tamen aſper eſt, cultus ubique, imo alicubi etiam delicioſus, ſubſidentibus nempe crebris inter montes, & monticulos Vallibus pabuloſis plerumque, & frugiferis. Tellus ubique fertilis, Pecori optima, venationi commoda, frumenti ſufficiens, vini parca, olei modica. Cœlum Æſtate ſalubre, Hieme perfrigidum, aliis temporibus temperatum; unde ſuperioribus annis alebat ſupra quadraginta hominum millia; nunc vero ultra vigintiquinque millia. Sunt intra ejus limites amplius octoginta Oppida, Caſtra, & Fortalitia, & omnia fere ad conſilium ſapientis ſupra petram ædificata, & ut plurimum a lateribus fluminum mutuo ſeſe pulchro ordine reſpicientia; ex quibus noſtro hoc ævo non pauca ruinis conſepulta, nemine reparante, jacent, ſuperſtitibus vix eorum nominibus.*

VIII. Propriis Dominis, qui *Comites de Monteferetro* appellabantur, paruit olim hæc Regio; quorum originem

nem perſcrutantes nonnulli tradunt: Tres nobiles Fratres ex Germania cum Imperatoribus in Italiam migraſſe, & tria Caſtra; *Carpinei* nempe, *Petræ Rubeæ*, & *Montis Cupioli*, in hac ipſa Regione extructa poſſediſſe; ex quibus Comitibus de Carpineo, Comitibus de Petra Rubea, & Comitibus de Monte Cupiolo, nomen. Et quidem ex his de Monte Cupiolo Comitibus, progeniti fuere *Comites Feltrii*, ſeu *de Monteferetro*, ex hujuſce Feretranæ Provinciæ dominatione ſic nuncupati, qui & *Urbini* Ducatum aliquando obtinuere. Inde factum fuit ut *Montisferetri* dominium ad Urbinates Duces, iiſque poſtremo fato ſublatis ad Romanos Pontifices, una cum Ducatus Metropoli, veluti ad ſupremos ejuſdem Principes tandem redierit. Sunt autem intra Feretranæ Diœceſis ſinum loca nonnulla ad Hetruriæ Ducatum ſpectantia; extat etiam S. Marini Oppidum cum aliis paucis illius parvæ Reipublicæ libertati permiſsum. Alia, ut in plurimum, Oppida, Caſtra, Fortalitia, ex quibus coaleſcit *Monsferetrus* Romanæ Eccleſiæ ſubjacent poteſtati; quorum præcipua ſunt *Pinna Billorum*, ubi Feretranorum Præſulum nunc fixa ſedes, S. *Leo*, cujus frequens apud Hiſtoricos mentio, *Macerata Feltria*, ubi olim *Petinum*, oppida S. *Agathæ* ad flumen *Ariminum* vulgo *Marecchia*, *Plani Melcti* ad flumen *Iſaurum* ſive *Foliam*, *Montis Cerignonii*, & *Montis Grimani*, ad flumen *Concham*; & inferioris notæ alia plurima. At de Regione, quæ juxta nonnullorum, haud improbabile, placitum ſub paſtorali Ariminenſium Præſulum ſtetit olim regimine, jam dictum ſatis. Nunc quonam tempore Epiſcopali propria fuerit ſede donata, operoſius inquirendum.

IX. Feretrani Epiſcopatus initia longius quam par eſset repetiere nonnulli, propius alii, utrique fruſtra. Et his quidem, Feretranos Antiſtites recenſere cupientibus, cum prior occurrerit *Agathon*, qui Concilio anno 826. per Eugenium Papam coacto dicitur interfuiſse, vi-

viſum inde primam Epiſcopalem ſedem in Monteferetro ſæculo duntaxat Eccleſiæ nono eſse firmandam. Horum agmen ducit *Ughellius*, cui pollice utroque ſubſcripſere quotquot Epiſcoporum, qui eam implevere catalogos adornarunt; nempe memorati Socii Pinnenſes *Jacobus Conticillus & Joannes Baptiſta Maſtinius*, *Petrus Joannes Laurentinius*, qui horum Præſulum ſeriem tanquam numeris omnibus abſolutam Epiſcopo Calvio exhibuit, ac dono dedit, *Horatius Oliverius*, cujus ſeries ſæpe interpolata, & admodum mutila eſt; nec non tandem Anonymus alter, ut in plurimum ab Ughellio ne latum quidem unguem abſcedens. Stat autem perfracte cunctis iis ex adverſo, jam citatus *Joannes Baptiſta Marini* in ſuo *Apologetico Feretraio*, paucis ab hinc annis eo conſilio publici juris facto, ut Caſtro *S. Leonis* in quo primam lucem aſpexit, Feretranorum Epiſcoporum debitam reſidentiam, invitis Diis, vindicaret. Hæſit equidem ipſe primum ad aquas, in *Cæſaris Clementini* & *Sigiſmundi Marcheſii* ſententiam haud auſus deſcendere, dum ille in ſua Ariminenſium, hic vero Forolivienſium Hiſtoria, S. Leonem Feretranæ Eccleſiæ Patronum, Epiſcopum fuiſse obiter ſcribunt. At caſu reperto, inſpectoque ſigillo quodam Benvenuti Antiſtitis Feretrani, exultare cæpit ſicut Agricolæ lætantur in meſse, & Victores capta præda, trepidationem omnem excuſſit, putavitque jure poſse merito Epiſcopatus primordia ſæculo quarto Eccleſiæ alligari. Sigillum, inquam, in Piſaurienſi Aſceterio S. Mariæ Magdalenæ aſservatum ſe vidiſse teſtatur, ſanctum quemdam Epiſcopum exhibens Pontificalibus indutum, infulato capite, ſiniſtra tenentem paſtoralem baculum, & dextera quaſi populum benedicentem; ſtatinque ex his evinci poſse credidit non alium, quam S. Leonem hujuſce Eccleſiæ titularem ſignificari.

X. At hæc infirmiora profecto ſunt, quam ut a communi ſententia, perennique traditione retrahere nos

valeant, quod Sacerdotio quidem fortaſse, initiatus, minime vero Epiſcopali dignitate donatus unquam fuerit S. Leo. Eum ſane ut Confeſsorem non Pontificem habuit, coluitque retroactis ſæculis, Officio unius Confeſsoris non Pontificis colit modo Sacræ Congregationis permiſsu Feretrana Diæceſis. Conſulantur *Ferrarius* in SS. Italiæ Catalogo, & *Petrus de Natalibus*, quo ſcriptore primum prodiere S. Leonis acta, cum altum prius de ipſo, ſocioque Marino in Eccleſiaſticis faſtis, perpetuumque ſilentium; conſulantur etiam, ſi liceat, M. SS. Legendæ *Petri Calò*, quod nos, permittente Dominico Berardellio Bibliothecæ SS. Joannis, & Pauli Præfecto, præſtitimus; Codex tandem Oratorii Romani H ſignatus, quem Bollandiani Operis Continuatores tranſcripſere; conſulantur, verbo dicam, quotquot S. Leonis vitam, quæcumque ea ſit, litteris conſignarunt; nec aliud reperire erit, niſi Leonem Sacerdotale miniſterium, Marinum vero Leviticum, manus eis imponente Gaudentio Ariminenſium Antiſtite, ſuſcepiſse. At monendum quod Petrum de Natalibus, alioſve rei hujuſce adhibuimus teſtes, non quod quieſcendum omnino cenſeamus ipſorum verbis, quibus nec quievit Tillemontius, nec juratis forſitan crederent alii criticeos periti; ſed eo duntaxat, quia contentioſum cum iis ducimus funem, qui ſæpe fabellas etiam canentibus de SS. Leone, & Marino pronas Petro de Natalibus, aliiſque aures accomodant; unde mirum profecto eſt, quod iisdem a vero non abſcedentibus non conſentiant, qui cæteras a veritate abludentes eorum narratiunculas apertis ſolent ulnis excipere.

De Natalibus Lib. 8. cap. 36.

XI. Irrito autem conatu in ſuam nos trahere ſententiam contendent, Clementinius adhibita fide pervetuſti monumenti, apud Ariminenſes Societatis S. Hieronymi Confratres aſservati; & Marcheſius ex vita S. Mercurialis, ſeu ſermone in ejusdem laudem S. Petro Damiano olim adſcripto, in quo hæc habentur;

adſue-

adſuerunt forte, *& alii celeberrimi Epiſcopi*, *Rophillus Popilienſis*, *Leo Feretranus*, *Marinus*, *Gaudentius*, *& Geminianus*; quæ S. Leonis Præſulatum ſatis evincere videntur. Monumenti, ante ſexcentos annos, ut Clementinus autumat, exarati, geſtaque SS. Leonis, & Marini exhibentis Auctorem, ætatem, certe tamen per plura ſæcula a S. Leone diſtantem, ipſiuſque fidem ad examen revocandi, dum Arimini eſsemus, nec facultas facta fuit, nec data ſpes: ſiquidem apud dictos Confratres iterato perquiſitum ab Eruditiſſimo Comite Joſepho Garampio, nunc Archivii Vaticani Præfecto, ipſius effugiit oculos, ac diligentiam omnem eluſit. Attamen illud, quod nec nobis videre, nec illi reperire licuit, licuit Antuerpienſibus Bollandi Continuatoribus, cum alio Apographo Bodecenſi conferre; nec aliud tamen ex utroque percepere, quam S. Leonem fuiſse Sacerdotio inſignitum, S. Marinum vero Diaconatu initiatum. Sic eruto citati monumenti fundamento, præceps ruit Clementinii opinatio. Nec fulciri poterit, ut conſiſtat, auctoritate ex Sermone, ſeu vita S. Mercurialis, per Marcheſium petita: præterquam quod enim Sermonem illum ceu illegitimum Damiani fœtum abjecit ex Operum ipſius editione Conſtantinus Cajetanus, abjecere pariter ut abortivum Antuerpienſes Socii; nil difficultatibus non involutum, aut quod nimia non nutet incertitudine ex productis verbis inferri poteſt. Auctor in primis, quiſquis tandem ille fuerit, citati Sermonis, ſeu vitæ S. Mercurialis Scriptor nonniſi dubitanter, & per conjecturam aſserit, punitionis impii Judicis Euchariſtiam blaſphemantis, præcibus S. Mercurialis impetratæ, teſtes fuiſse oculares Rophillum, Leonem, Marinum, Gaudentium, Geminianum, quod ſatis conſtat ex iis verbis: *adſuerunt forte*, quorum ætates conciliare velle propter unum *forte* improbus certe labor, & inutilis nonniſi conatus erit; & qui ut certum accepere, quod

ille per nudam dixit conjecturam, in omnes ſeſe torquere partes coacti ſunt, ait Papebrochius, ut dicta componerent. Præterea: eſto inter eos Epiſcopos Popilienſem Rophillum, Ariminenſem Gaudentium, Mutinenſem Geminianum, recenſeatur Leo Feretranus, non inde tamen deduci poteſt Epiſcopatum geſſiſſe, nam una cum ipſo & Marinus numeratur, quem tamen altiorem Diaconatu gradum conſcendiſſe ſomniavit nemo. Ut ab ima tandem radice difficultas omnis evellatur; advertere ſatis erit, quo tempore, quibuſve miniſtrantibus lumen Acta illa S. Mercurialis fuerint litteris tradita. Igitur a ſæculo Eccleſiæ ſecundo, quo Sanctus mortem opetiit, ut ex lamina ad ſepulchrum reperta, probabilius Baronius, Papebrochius, aliique conjiciunt, aut ſaltem a ſæculo IV, quo ut alii contendunt, floruit Sanctus Antiſtes, ad uſque octavum Chriſti ſæculum, ſeu etiam nonum, nulla habebantur ſcripto conſignata S. Præſulis geſta, ſed quædam duntaxat referebantur populari traditione ſervata. Cum autem antiqua S. Stephani Eccleſia inſtauranda eſſet, Deoque ſub nova S. Mercurialis appellatione dicanda, ea ipſa miranda opera, quæ de Forolivienſium Prothopræſule a popularibus enarrabantur, in parietibus dictæ Eccleſiæ adhibitis coloribus Pictor expreſſit. Sæculo tandem, juxta Bollandi Continuatores, Eccleſiæ XI citati Sermonis, ſeu vitæ S. Mercurialis Auctor, ejusdem geſta litteris tradenda diligenter perquirens, cum nil certi, ut ipſemet fatetur, ab Accolis loci percipere poſſet, monumentum fide dignum nullum ſuppeteret, Eccleſiam illam ingreſſus, picturaſve proſpiciens, quæ ex iis, quaſi divinando deprehendit, tradidit ſcripto. Sic, cum in Judicem quemdam, divinæ ultioni obnoxium oculos intendiſſet, picturarum Interpres, deſignatum ſtatim credidit Taurum Ariminenſium ſub Conſtantio Ariano Præfectum, & Catholicis nimis infenſum. Cernens præterea Infulatos nonnul-

nullos, alioſque viros mirabilis vindictæ depictos teſtes, ſcripſit, dubius tamen, quod unus forte Rophillus erat, alter Gaudentius, tertius Geminianus, hic Leo, ille Marinus, ambo uno tempore Montisferetri Incolæ, prior quidem in Monte Feliciano, alter in Titano Monte Heremiticam vitam ducentes. Quæ cum ita ſint: quis quæſo non ſtatim percipiat, ni ſlocci omnino faciendum, ſaltem minimum roboris obtinere poſſe teſtimonium illud deductum ex ſæpe citato Sermone, ſeu Vita, poſt tot ab ejus obitu ſæcula, per incertum Auctorem exarata, & quidem ex mere arbitraria interpretatione picturarum id referentium, quod vulgari tantummodo traditione circumferrebatur? Quis quæſo hujuſce auctoritati facile acquieſcat, ut S. Leonem primum Feretranis datum Epiſcopum, contra communem, perpetuamque opinionem ſentire debeat?

XII. Sed nec id tam facili, ut ſibi blanditur, negocio a diſcretis viris conſequetur Marinius, ſigillo exhibito Benvenuti Epiſcopi, apud Piſaurienſes Moniales aſſervato, Sanctum quemdam Præſulem, quem S. Leonem eſſe interpretatur, referente. De exiſtentia, & authenticitate Diplomatis, ex quo memoratum pendet ſigillum, fides ſit apud ipſum, nec unam dicamus hanc eſſe ex multis, quæ Marinius in ſuo Apologetico ſciens, & volens ſæpe venditavit fabellas; de eo enim conſpiciendo, ut ad ſeveriorem trutinam revocaretur, Piſaurum adeuntes ſoliciti minime fuimus, nec ocium ſuppetiit. Exhibeat ſigillum illud, Virum Epiſcopalibus Infulis inſignitum, Populum ſuum Præſulum ritu benedicentem; num ſtatim deduci poterit S. Leonem Montisferetri Patronum ſignificari? Id quidem probabile reputat, at certo aſſerere non audet, nec probare poteſt ipſe Marinius. Et quidem, qua ratione ingenuis Viris ſuaderi poterit recentiſſimo monumento, res mille circiter annorum ætate major? Num igitur S. Leonis ſæculo ad ſummum quarto vitam agentis,

tis, evinci poterit Epiſcopatus, Sigillo uno, quartodecimo duntaxat ſęculo, ad placitum fortaſſe ſculpentis effićto? Unde tanta vis, inſtrumento uni pene noviſſimo, ut in eam ſententiam, obſtante licet contraria traditione, aliiſque argumentis, vel inviti trahamur?

XIII. Sane, ne in illam patiamur adduci, præter jam dićta, nos retinent alia. Greſſus ſtatim noſtros, ne in eam deſcendamus, cohibet extenſa nimis lacuna a ſæculo ſaltem IV, quo floruit S. Leo, ad uſque labentem VIII; nulla enim, ingenti illo annorum ſpacio, in monumentis, Epiſcopatus Feretrani occurrit mentio, nullius legitur Epiſcopi nomen, ne leve quidem ſedis illius veſtigium cernitur. Fatemur quidem, quod jam Cl. Gaſpar Baretta Diſsertationis Cronologicæ de Italia Medii ævi Aućtor præmonuit: plures nempe Eccleſias medio ævo diu ſuis orbatas Paſtoribus inveniri, etſi priori ævo ipſos habuerint; quod an elećtionis, an potius diptycorum defećtui ſit tribuendum, dubia res eſt. Certo nihilominus certius eſt; quod eſto Præſulum, qui eas implevere, nomina ſæpe in faſtis deſiderentur, attamen Epiſcopalium ſaltem ſedium ipſarum non perpetuo omittitur mentio. Feretrani autem Epiſcopatus ad uſque VIII ſæculum in monumentis Eccleſiaſticis mentio nulla. Plura ſuppetunt Imperialia, & Pontificia iis ſæculis data Diplomata, Epiſcopales Italiæ Urbes, & ſingillatim Æmiliæ, Exarchatus, & utriuſque Pentapolis enumerantia, quas inter fuiſset dubio procul *Monsferetrus* recenſendus, ſi ſemel Epiſcopali dignitate jam fuiſset ea ætate inſignitus; nec legitur unquam; cum e contra eo Sæculo elapſo inter Epiſcopales Pentapolis Civitates proprium in monumentis, & *Monsferetrus* locum obtineat. Non abſimili ratiocinatione, mox memoratus Gaſpar Baretta, ex Epiſtola Gregorii II ad Leonem Iſaurum data anno 726 evincit, nec oćtavo exoriente ſæculo datum fuiſse adhuc Feretranis Epiſcopum; ait

Rerum Italicarum To- mo X.

ait enim : *Eleganter Gregorius II poſt captam a Luitprando hanc utramque Pentapolim, ſcribens : Decapolim dixerat, quia erant ſua ætate tantum in Provincia Pentapolis Urbes Epiſcopales XI, nec propter exceſſum unius impropria voce uſus eſt..... En iſto tempore Urbes quas Pentapolis complectebatur : Æſis, Ancona, Ariminum, Auximum, Callium, Eugubium, Fanum, Forumſempronii, Numana, Piſaurum, Urbinum Urbes Epiſcopales ſæculo VIII omnes fuiſſe, & longe ante percipimus. Forte, & Urbes tunc fuerint, ſed honorariæ tantum, & nondum Epiſcopales Monsferetrus, Macerata, & Urbania.*

XIV. Feretrani tamen Epiſcopatus primordia, quæ ante ſæculum Chriſti octavum, fruſtraneo nonniſi labore, repetere contendit Marinius, non ultra ejuſdem ſæculi declinationem, ut alii fecere, ſunt protrahenda. Certe ſi Eccleſiæ dumtaxat Epiſcopali dignitate donatæ recenſerentur in Pipini diplomate, quod ad annum 755. refert Baronius, dimidio circiter dicti ſæculi alliganda eſſet Epiſcopatus Feretrani prima inſtitutio. At cum plurimas inter Epiſcopales Urbes: *Ravennam*, ſcilicet, *Ariminum*, *Piſaurum*, *Fanum*, *Cæſenam*, *Senogallias*, *Æſium*, *Forumpompilii*, *Forumlivii*, *Montemferetrum*, *Bobium*, *Urbinum*, *Callium*, *Eugubium*, *Comaclum*, alia etiam enumerentur loca, in quibus nulla Epiſcopis ſedes fuit: *Aceragium*, *Montem Lucari*, *Serram*, *Caſtellum S. Marini*; certum inde Feretrani Epiſcopatus jam inſtituti argumentum trahere non valemus. Quæ vero, ex Pipini memorato Diplomate certo peti nequeunt, illius ſedis initia, haberi poterunt, dubio quocumque ſubmoto, eodem ſæculo ad finem vergente, ex privilegio Caroli Magni Oſtiariis Ravennatenſis Eccleſiæ conceſſo, non quidem, ut per errorem ſignat Marinius, anno 772., quo nondum Italiæ Regem eum ſalutaverant Longobardi, ſed 787. ut notat Rubeus, quo Marinius ipſe Hiſt Raven. Lib .
(quod mirum profecto eſt) utitur teſte. En ipſa Carolini Diplomatis verba: *Ad hoc ſubiici volumus, non ſolum Epiſcopatus, verum etiam cuncta Monaſteria, & plebes Arimi-*

minenſem, Penſaurienſem, Faneſtrenſem, Senogallienſem, Augubii, Humanæ, Calli, Foroſinfronii, Montemſeretranum, Sarſenæ, Bobbii, Cæſenatenſem, Foropompilii, Forolivii, Faventiæ, Forocornelii, Bononiæ, Mutinæ, Parmæ, Regii, Placentiæ, Vicobabentiæ, Gavallenſem, Hadrienſem, Comaclenſem, & Ficoclenſem; ut ſi in poſterum aliquis ex prædicta Eccleſia Cuſtos per totidem nominatos Epiſcopatus tranſitum habuerit &c. Regio huic Caroli Magni privilegio conſonant tum Ludovici Pii ſub anno 817. tum Ottonis ſub anno 962. tum aliorum Diplomata, per quæ, Urbes inter Epiſcopales Pentapolis, Feretranæ ſedi proprius ſervatur locus.

XV. Epiſcopalem hanc Cathedram Sæculo VIII. jam declinante, ut diximus, erectam, Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectam primo fuiſſe, deinde Ravennatenſi, conſtans eſt Scriptorum ſententia, Epiſtolis etiam Gregorii V. ad Joannem, & Gerbertum Ravennæ ſucceſſive Archiepiſcopos, datis, confirmata. Priori, quæ non anno 996. ut ſignat Rubeus, ſed potius 997. ut ex indictione patet, data fuit, Metropolitico Ravennæ juri, cui injuſtæ ab Anteceſſore ſubducta fuerat, reſtituit Placentinam Eccleſiam, & ad enixas Joannis Archiepiſcopi preces ſubiicit ei & Feretranam; altera vero ſequenti anno 998. hoc idem confirmat Gerberto; quod Deceſſori conceſſerat. *Diſciſſa tractu temporis ab Apoſtolicæ Sedis unitate Ravennatium Eccleſia*, verba uſurpamus Gelaſii II. in epiſtola ad Gualterum Archiepiſcopum data 1119. *ad ejus nequitiam deprimendam ſubiectarum ei Eccleſiarum, quaſdam ſibi Apoſtolica Sedes aſſumpſit*. Has tamen inter, non videtur Feretrana enumeranda; cum enim revocata tandem ad unitatem, & obedientiam Matris ſuæ Romanæ ſedis Eccleſia Ravennatenſi, ei reſtituere ſe velle, ſcribat Gelaſius, dignitatem omnem, quam ante diviſionis tempus poſſederat, recenſeatque reſtitutos illius metrapolitico juri Epiſcopatus: *Placentiæ, Parmæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Adriæ, Comacli, Imolæ, Faventiæ, Forilivii, Foripompilii, Bobii, Ceſenæ, Ficoclæ,*

coclæ , nulla facta Feretranæ Sedis mentione , inferri merito poteſt eam , & ſchiſmatis tempore ſub Ravennate Metropolita ſtetiſſe . Diu igitur quidem, at non ſenger conſtitit ; ſiquidem quo tempore Sedi Urbinati in Archiepiſcopalem evectæ eam ſuffraganeam , uti etiamnunc eſt , dedit Pius IV, immediate Apoſtolicæ Sedi ſubjecta iterato exiſtebat. Hoc didicimus ex ipſa Pii Papæ Bulla pridie Non. Junii 1563. expedita, cujus hæc verba ſunt : *Conſiderantes Eccleſiam Urbinatenſem Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectam .... quodque ſi in Metropolitanam erigeretur , necnon Callienſis , Senogallienſis , Piſaurenſis , Foroſempronienſis , Feretrana , & Eugubina etiam ſedi præfatæ immediate ſubjectæ , & in Ducatu Urbinatenſi conſiſtentes , Eccleſiæ illi Metropolitico jure ſubjicerentur &c.*

XVI. Hactenus de Feretrani Epiſcopatus origine : nunc quo peculiari loco Epiſcopalis ea ſedes locata fuerit , inquirendum ; non una enim eſt de hac re Feretrana Civium ſententia; vetus imo, & adhuc exardeſcens eos inter diſſidium . Pro vindicanda patrio ſuo S. Leonis Caſtro perpetua Feretranorum Præſulum reſidentia , quaſi pro aris , & focis decertant Leontini , eamque pluribus probare contendunt, quæ legi poſſunt in ſæpe memorato *Apologetico Feretrano* , quo Joannes Baptiſta Marini Concivium ſuorum cauſam mordicus agit . Pinnenſes e contra, aliique Regionis Incolæ invicte propugnant nunquam Feretranam Sedem in S. Leonis Oppido firmatam fuiſſe ; *ſed primævos Antiſtites* , quod eſto rarum, tamen ſine exemplo neutiquam eſt, (verba ſunt Conticillii, & Maſtinii , quos ſupra memoravimus) *ſponſos quodammodo videri potuiſſe ſine circumſcripto ſponſali thalamo, ſine diſtincta a cæteris ſponſa , nempe ſine Civitate , & Cathedrali . In cæteris quidem Epiſcopatibus* (ait Matthæus Magnani alibi memorandus) *duo loca diſtingui poſſunt : Civitas nimirum , cujus principaliter eſt Epiſcopus, & Diæceſis . In Epiſcopatu autem Montisferetri aſſignatur unus generatim locus tantum , qui pro Civitate habetur ſi-*

D *mul ,*

mul, & pro Diœceſi; & hoc eſt tota Provincia, quæ appellatur Monsferetrus. Exempla petunt ex Epiſcopis Sabinenſi, & Maricano, qui non Civitatis alicujus tali nomine nuncupatæ, ſed Provinciæ, non Urbani, ſed Regionarii Epiſcopi ſunt. Ut ea autem, quibus facilius lis dirimi poſſit, parteſque componi, meliori in lumine, & præclaro ſuo ordine collocentur; exponi debet in anteceſſum, controverſiæ ſtatus, & indicanda momenta, quibus ducti Leontini perpetuam ſuo arrogant Caſtro Feretranorum Antiſtitum reſidentiam; iis enim erutis fundamentis nullo conatu everti poterit ſuperſtructa opinatio, imo ſponte ſua cadat neceſse erit.

XVII. Res igitur, de qua uſquenunc Feretrani contentioſum ſeſe inter funem duxere, quæque adhuc ſub Judice pendet, ea eſt: quo loco per ſex circiter ſæcula, ab octavo nempe inclinante ad uſque labentem quartumdecimum ſita fuerit Epiſcopalis Sedes, & immota conſtiterit. Sane, in dubium vertere, quo loco Præſules illi ante Sæculi VIII declinationem reſederint, idem ac perquirere eſset, ubinam fuerint, qui nulibi erant. Cum enim primam ejusdem Epiſcopatus originem vel diligentiſſime perquirentibus veſtigium nullum ante id temporis apparere poſſit, ut præmonſtravimus, infirmæ nonniſi mentis ſtudium eſset, Sedis illius locum deſignare, quæ nondum erat. Sed & ultra XIV Sæculum contentionem protrahere, temporis eſset inutile, & laboris diſpendium; cum extra omnem dubietatis aleam jam poſitum noverint ipſi Leontini, ut eorum Vexillifer fatetur Marinius, eo labente Feretranos Præſules a *S. Leone* migraſse *Talamellum*, *Montem Taxorum*, *Vallem S. Anaſtaſii*, aut alia Diæceſis loca adeuntes, uſquedum S. Pius Papa V. Epiſcopale Feretranum ſolium *Pinnæ Billorum* tranſtulit. Sex autem intermediis ſæculis Epiſcopos in S. Leonis Oppido fixam ſedem tenuiſse, mordicus ſuſtinent Leontini; negant, pernegantque Pinnenſes, & alii. Leontinorum argumen-

menta paucis perſtringam ex Apologetico Mariniano. En duo potiſſima, quæ cætera, imo integrum Marini Volumen exhauriunt. Montemferetrum ante ſæculi XV. declinationem, quo tempore Federicus Feltrius Urbini ditione obtenta titulum Ducis aſsumpſit, non Regionem totam, ſed peculiarem locum ſignificaſse, nec locum alium a S. Leonis Caſtro, adeo inconcuſsa apud Leontinos veritas eſt ut eam vel in dubium vertere, crimen ſit. Hinc primum inſtaurat argumentum Apologiſta Marinius. Epiſcopi Feretrani non alibi, dubio procul, Sedem habuere, præterquam in Monteferetro; Mons autem Feretrus civitas eſt S. Leonis: in ea igitur Epiſcopi conſtitere; ideoque dicti fuere *Leopolitani*. Iterum: Ibi Epiſcopos Feretranos reſediſse pro certo habendum, ubi Cathedralis Eccleſia, Epiſcopale Palatium, Canonicales Ædes conſtructæ fuerant; at in ſola S. Leonis Civitate exiſtebant tunc temporis Cathedralis, Palatium, Ædes: proinde inibi ſiſtebant Epiſcopatum gerentes. En bina, ad nauſeam uſque repetita, Mariniana argumenta, quibus ſatisfecit Petrus Antonius Calvi, qui confutandi Apologetici Feretrani in ſe provinciam ſuſcepit.

XVIII. Sponte ſua corruentem primam Marini argumentationem, ex iis, quæ Diſsertationis hujus in limine demonſtravimus, quiſquam, puto, proſpiciet. Probavimus ſiquidem, prioribus etiam ſæculis *Montemferetrum* Provinciam totam ſignificaſse, & peculiarem etiam Civitatem, Caſtrum, vel Oppidum, tunc temporis exiſtens, poſtea vel Hoſtium, vel temporis injuria dirutum, vel Soli vitio collapſum. Hinc ut Epiſcopalem reſidentiam S. Leonis Caſtro Marinius vindicet, proferat neceſse eſt monumentum aliquod, quo non *Monsferetrus*, ſed nominatim *S. Leo* indicetur; alias vel de quocunque alio Regionis Feretranæ loco, vel de priſca Montisferetri, nunc diruta, Civitate facile interpretabitur. Nec recens nimis, intentum juvare

 po-

Digitized by Google

poteſt Epiſcopi *Leopolitani* nomenclatura, ab Ughellio, per Leontinos edocto, primum uſurpata, ut ipſe ingenue confeſsus eſt, dum Mattheo Magnano, ſibi id amice improperanti, reſcriberet, nulla excogitatæ recens nomenclaturæ adducta ratione: Sed nec ullam quidem adducere poterat; nullum enim vetuſtum exhiberi poterit monumentum, Imperiale, ſeu Pontificium nullum Diploma, nullum Epiſcopale Inſtrumentum, probatæ fidei Auctor nullus Ughellio ætate major, qui Montemferetrum *Leopolim*, Feretranum Epiſcopum dixerit, *Leopolitanum*. *Monsfeltranus*, *Feretrius*, *Feretratus*, *Montisfeltri*, *Montis Feretri*, hæc in vetuſtis monumentis Feretranorum Præſulum nomina.

Differt. MS. Magnani pag. 44.

XIX. Sed nec altera quidem Marini argumentatio conſiſtet, ſi ea perpendantur, quæ adhibet, ut Cathedralem Eccleſiam, Palatium Epiſcopale, Canonicales Ædes in S. Leonis Caſtro extitiſse demonſtret. Amplum ſane Templum elegantis, ſolidioriſque ſtructuræ, quod pro Cathedrali in poſterum haberetur, in Oppido S. Leonis 1173. extructum fuiſse, norunt Incolæ omnes, novimus ipſi, cuiquam enim perſpicua eſt ad Columnam tertiam ſequens inſcriptio: *Anno Domini 1173. conſtructa, & erecta fuit mirabilis, & artificioſa moles Epiſcopatus fortiſſimæ Civitatis D. Leonis Montisferetri*. At Marinio vindicare contendenti a prima uſque Epiſcopatus origine, perpetuam apud S. Leonem Præſulum reſidentiam, hæc minime ſufficit, ſæculo duntaxat labente duodecimo conſtructa Eccleſia. Hinc vetuſtiorem, nulla tamen adducta ratione, nullo quo rem confirmet adhibito monumento, Cathedralem excogitavit, ſcribens: *In Urbe S. Leonis etiam ex ante extitiſſe antiquiorem cathedralem, quæ etiamnum ſuperextat, & in qua antiquiſſimum viſitur monumentum circa Aram maximam, ab Urſo Partitiaco Venetorum Duce erigi factum, ex Halabaſtrino perpolito lapide, quatuor ejusdem lapidis ſuffultum columnis cum inſcriptione, ex qua monumentum in ea Eccleſia poſitum evincitur*

citur anno Chriſti 882. Liceat quæſo paululum a recto tramite declinare, ut mentientem, & toto oſtio aberrantem ſequamur Marinium. Iterato ſane mentitur, dum bis ait: quod monumentum illud, qualecunque ſit, etiamnum viſitur circa Aram maximam; neque enim videtur modo, nec videbatur eo tempore, quo hæc ille tradidit ſcripto; plures quinimo elapſi erant anni, ex quo Leontini, inſipienti vere conſilio, eo vetuſtatis diruto monumento, inſcriptum lapidem pro infima baſi collocantes, quatuor iis ſuperpoſitis columnis, in extremo Eccleſiæ angulo conſtruxerant Baptiſterium; quod nos ipſi dolentes, & vix non indignati conſpeximus. Abludit a vero inſuper, dum nil dubius aſſerit monumentum illud Urſo Particiaco Venetorum Duce jubente, confectum. Quid quæſo Veneto Duci cum Monteferetro? Certe devotionis ergo nunquam Eccleſiam illam inviſit, non belli occaſione Regionem illam penetravit, nullius negotii cauſa montem S. Leonis conſcendit. Ut quid ergo perenne illud monumentum inibi collocari mandaſſe dicendum? At hæc leviora. Monumentum illud anno 882. erectum fuiſſe, ex Indictione, cæteriſque Inſcriptioni appoſitis notis, nos docet Marinius. Non igitur ab Urſo Venetorum Duce, qui biennio circiter ante e vivis abjerat. Teſtes advoco Sabellicum Decade 1. Lib. 3, Dandulum in Cronico lib. 8. cap. 6, Petrum Marcellum de Vitis Principum Venetorum, cæteroſque, qui res Venetas typis mandarunt, aſſerentes Joannem Particiacum, ut vocant, vel Participacium Urſi Filium, Ducale Solium, a quo Pater deturbatus fuerat per mortem anno Chriſti 881. conſcendiſſe. Libentius, puto, aures accomodaſſent Eruditi quicunque Viri, Marinio, ſi probabilius conjectando ſaltem dixiſſet; monumentum illud, juſſu fortaſſe poſitum Urſi, Ducis quidem, ſed non Venetorum, quæ in Montisferetri Provinciam conſtitiſſe certo novimus, ex Placito

ini-

nibi habito anno 885. cujus hæc verba ſunt : *Cum in judicio reſideret Johannes humilis Epiſcopus S. Feretranæ Eccleſiæ, & Urſo glorioſo Dux in Curte de Strivano, qui vocatur Cereto, ibi cum eis reſidebant cæteris Judicibus controverſiæ inter Deltonem Epiſcopum Ariminenſem, & Stephanum Monaſterii S. Marini Confeſſoris D. N. J. Chriſti, qui eſt ſito in Monte Titano Abbatem*. Autographum ſervari in Archivio Sanmarinenſi, nos docuit Cl. Comes Joſeph Garampi, datumque dicitur: *Temporibus Atriani PP. conſecrationis ejus anno tertio* (hic cubat error, nondum enim annum primum expleverat) *Karolo Imperat. anno quinto die* 20. *Februarii Indict.* 3. *Territorio Feretrano*. At in viam a qua deflectere aliquantulum libuit, revertamur, nec diutius extra chorum canamus.

XX. Parochialem Eccleſiam in Oppido S. Leonis etiamnum exiſtentem, in qua monumentum illud videbatur, antiquitus minime Cathedralem fuiſſe, ut gratis omnino contendit Marinius, ex eo evincit Calvius; quod ſi Cathedralis fuiſſet, certe S. Leoni, quem nedum Civitas illa ex ejus nomine nuncupata, verum tota ſimul Diæceſis præcipuum veneratur Patronum, dicari debuiſſet, & non Virgini in Cœlum Aſſumptæ, cujus titulum ſervat. Inſuper extra quoſcunque probabilitatis fines poſitum, quis non percipiat, quod ſi ſemel Eccleſia illa Cathedralis fuiſſet, aliam tanto ſumptu erigere voluiſsent Feretrani in eodem anguſtiſſimo (abſit injuria verbo) Caſtro, vel Opidulo, cujus vix limen ingreſsus metam cernis, & tangis? Ne quæſo mihi Leontini ſuccenſeant, ſi Patriam eorum: Caſtrum dico, vel parvum Oppidum, non Civitatem, & quidem celebrem, ut jactant, principaliorem, inſignem, Arcem munitiſſimam, inexpugnabilem. Hoc enim, quod ab Imperitis quibusdam, qui nec a limine, nec procul eam unquam ſalutarunt, Scriptoribus, facile ſunt conſecuti, ægre nonniſi ab oculato teſte obtinebunt, qui loci anguſtiam iterato pro-

proſpexit , deprehenditque ex Libro in Archivio Epiſcopali ſervato; quod facto per loci Archipræsbiterum anno 1627. Habitatorum calculo , quingenti , & trigintaquatuor ſolummodo enumerabantur ; & iterum anno 1736. quadragintatres ſupra ducentos duntaxat reperti ſunt; ex quibus, demptis octogintaquinque ſive Militibus cum Uxoribus, & Liberis, ſive aliis ſtipendio conductis , centum quinquaginta tantummodo Civium reliqua ſunt. In ea vero munitiſſima Arce ſeptemdecim tantum Milites , ſupputatis etiam Officialibus, præſidio ſunt. Nec putes ampliorem olim eam Civitatem fuiſse ; abſciſsa enim Rupes , in cujus impervio pene cacumine conſtructa exurgit , amplioris Civitatis capax non eſt . At hæc obiter , & non ad injuriam, ſed ad argumenti robur ſolummodo dicta . Quis igitur in eam ſententiam libens deſcendet , ut iterum dicam, Feretranos novam Cathedralem excitare voluiſse in tam exiguo loco, ſi prior extitiſset? Satis ea prior, ſuperque ampla erat, non terræ hiatu , fulmine, aut alio caſu perierat, non ruinam minabatur, nec quidem rimas agebat ; ſolide conſiſtebat eo prorſus modo , quo poſt ſex ferme alia ſæcula nunc adhuc eam ſtare conſpeximus; nulla proinde ratio urgebat, ut nec labori parcendo, nec ſumptibus alia in ejus locum ſubſtitueretur ? Nulla igitur in S. Leone Cathedralis extitit ante illam, quæ ſæculo jam declinante XII extructa fuit.

XXI. An vero a primi inſtituti Epiſcopatus exordio, ad uſque duodecimum ſæculum Feretrani Præſules ſponſi fuerint ſine circumſcripto ſponſali thalamo, ſine diſtincta a cæteris ſponſa, nempe ſine Civitate , & Cathedrali, ut prælaudati Conticillus, & Maſtinius ſcripſere , vel alicubi ſedem habuerint , & Cathedralem, ſub Judice ultro litem relinquimus, quæ ex monumentorum defectu nonniſi divinando dirimi poſset. Nec abſurdum omnino, dicunt ii , nec ſine exemplo,

quod

quod Epiſcopus, præſertim Regionarius, ut eſt Feretranus ſine fixa ſede fuerit aliquando, & abſque Cathedrali; ſiquidem & Magalonenſes Epiſcopi trium ultra ſæculorum ſpacium ab anno nempe 737, quo direpta fuit Magalona, ad annum 1030, & Eccleſia Cathedrali caruerunt & ſolio; teſte Labbe Biblio. MS. Tom. 1. Veroſimilimum nonnullis aliis viſum eſt tamen, non alicubi Cathedralem extitiſſe, & Epiſcopium (ſi prioribus iis ſæculis extitit) præterquam in ea, quam fuiſſe olim demonſtravimus Civitate *Monsferetrus* dicta, a qua Epiſcopi, & Diæceſis tota nomen habuere; qua tandem diruta, ne Cathedralis nulla, quod turpe erat, in tota Regione inveniretur, nova in Oppido S. Leonis, citato anno 1173. fuerit ædificata. At hoc quoque incertitudine plenum, nec monumento ullo indicatum.

XXII. Hoc unum igitur extra dubietatis terminos poſitum eſt, primam in S. Leone Cathedralem duodecimo tantum ad finem properante ſæculo extructam fuiſſe. Verum ne tunc quidem inibi reſidere, cum ſuis Canonicis cæperunt Epiſcopi, defectu Canonicalium ædium, & Epiſcopii; quidquid dictitet Marinius, plura congerens, ut contrarium evincat, imo ſitum Epiſcopii, & Domorum Canonicalium indigitans. Inſtrumentum profert primo loco anno 1239. celebratum inter Ugholinum Epiſcopum, & Artuſium Petini Archipresbiterum, quod datum legitur: *in Monte S. Leonis in Palatio Domini Epiſcopi*. Teſtem adhibet inſuper Cronicon Cæſenatenſe a Muratorio æditum, in quo hæc habentur: *anno* 1338. *die* 12. *Januarii Nicolaus Baſtardus Comitis Federici nocturno tempore cum ducentis famulis Civitatem S. Leonis intravit, & Civitate occupata cum Epiſcopatu*: Plura itidem exhibet Inſtrumenta per Cæſarem Batilaneum Notarium rogata, in quorum calce ſic legitur: *Actum in Civitate S. Leonis in Domo mei Notarii, in loco dicto: la Contrada del Veſcovato*: Argumentum poſtremo

Rerum Itali. Tom. XIV.

mo petit ex ea Inſcriptione, cujus ſupra mentio, ad Cathedralis columnam appoſita: *anno Domini* 1173. *conſtructa, & erecta fuit mirabilis, & artificioſa moles Epiſcopatus fortiſſimæ Civitatis D. Leonis Montisferetri;* per quæ ſane verba, ſic ipſe arguit, *non nudum Templum, ſed & Ædes contiguæ exprimuntur ædificatæ pro Epiſcopi habitatione; a tempore enim Caroli Magni introductus uſus erat, ut prope Cathedralem Eccleſiam tam Epiſcopi, quam Canonicorum conſtruerentur ædes*. Et paulo infra addit: *Hodierno quoque die videre licet, quamquam occluſam muro, antiquam portam, per quam ab Eccleſia illa ad Palatium Epiſcopale patebat ingreſſus*. At hæc, quibus fidenter utitur Marinius, jacula ſunt, quæ facili negotio retundi poſſunt.

XXIII. Minimum juvat in primis (ut Adverſarii methodus argumenta refellendo obſervetur) quod Ugolini Inſtrumentum datum legatur: *in Monte S. Leonis, in Palatio Domini Epiſcopi*; ſiquidem Ugolinus Feltrio ſanguine erat: *Feltrios autem credibile eſt* (verba ſunt ipſius Marini) *in Monte S. Leonis ortos, & educatos, S. Leonis Urbis dominantes, S. Leonis domum habentes, in ea & poſt factos Epiſcopos reſediſſe*. En ex ipſis Marini verbis, Marinianæ argumentationis ſolutio. Inſtrumentum celebratum fuit: *in Palatio Domini Epiſcopi*; non in Palatio Epiſcopali, quod ad Ugolinum jure Epiſcopatus ſpectaret, ſed in iis Ædibus, quæ de jure Feltriæ Gentis cum eſſent, ad Ugolinum Epiſcopum, qui Feltrius erat, pertinebant. Quod ne gratis quis a me dictum putet, clavum clavo retundam; Mariniano nempe Inſtrumento Inſtrumentum aliud reponam in Publico Veruculi Archivio ſervatum, ſic habens: *Ego D. Guidonus de Cereto do, vendo, & concedo per me, & meos hæredes vobis D. Ugolino Epiſcopo Feretrano, veſtriſque ſucceſſoribus in dicto Epiſcopatu ..... omne jus, & actionem, quam habeo in colligendo paſſaggium in Curte Caſtri Cereti, & in Curte Caſtri Ventoſi, & in Curte Caſtri S. Marini &c. Actum in Monte S. Marini in Camera ſupradicti D. Epiſco-*

Digitized by Google

pi die 12. *Septembris* 1243. En igitur Ugolino in utroque Caſtro, S. Leonis nempe, & S. Marini Ædes erant; quia ex Peltria Gente, in Caſtro S. Leonis dominante, progenitus, Patriam Domum inibi habebat, in qua rogatum fuit Inſtrumentum a Marinio productum; ut vero Epiſcopus, apud S. Marinum morabatur, ibique & Succeſſores ejus diu conſtitere, ut infra dicemus. Solidiori hoc ſemel eruto fundamento, quod, ad adſtruendum in Caſtro S. Leonis Epiſcopale Palatium Marinius adhibuit, cætera ſimul ſponte ſua corruent. Sexcentis, ſi opus foret, exemplis, tum ex Hiſtoriis, tum ex Inſtrumentis depromptis, evincere poſſem, nomine: *Epiſcopatus* vulgo *il Veſcovato* ſæpe non Epiſcopales Ædes ſignificari, ſed Cathedralem Eccleſiam; at contra Leontinos pugnaturus, Leontinis ipſis teſtibus utar. Evolvant Conſiliorum ſuorum librum; ſcientque die 1. Auguſti 1612. propoſitum fuiſſe a Curtio Merlutio, ut vocant, Confalonerio, ſeu Præſide, inſtaurari debere: *il Campanile del Veſcovato*; quæ ſane verba Turrim campanariam Cathedralis Eccleſiæ ſignificant, quæ detrimenti nonnihil reportaverat ex publicæ lætitiæ ſignis ob ortum Principis Urbinatis in ea editis, non autem Epiſcopium, quod campanariam Turrim minime habebat; imo Marinio teſte, poſt annum 1338. ita perierat, ut nec rudera quidem illius ſupereſſent. Evolvant, retrocedentes, Librum, cui titulus: *Jura Præpoſituræ Feretranæ*: pluresve illis occurrent examinati Teſtes anno 1565, uno ore Cathedralem Eccleſiam appellantes: *il Veſcovado*. Sic Federicus a Majolo: *D. Giacomo diceva la Meſſa nel Veſcovado, ed anco in la Pieve di S. Maria di S. Leo..... ho veduto li frutti nella Sacriſtia di ſotto in lo Veſcovado.... Il Vicario mandato da Monſignor ad iſtanza del popolo di S. Leo, ordinò, che li Canonici, e Prepoſto teneſſero un'altro Capellano nel Veſcovado*. Pariter Petrus Antonius Rector Eccleſiæ de Petra, interrogatus ait: *Il Batteſimo ancora era dentro*

il

il Veſcovado ; quale poi è ſtato portato alla Pieve ; e che in quel tempo lui battezava le Creature nel Veſcovado. Alios omnes pari modo loquentes audient, indeque vellint, nollint percipiant neceſse erit per ly *Veſcovado* non Epiſcopalem Ædem, ſed Cathedralem Eccleſiam in Oppido S. Leonis conſiſtentem indigitari, in qua Capellani a Præpoſito deputati, quandoque ſacra peragebant, licet pluries etiam in Plebali Eccleſia S. Mariæ etiamnum exiſtente, celebrarent; quæ Cathedralis reapſe ſubterraneam Sacriſtiam habebat, in qua repoſitos fructus ſe vidiſse teſtatur Federicus, a qua Cathedrali Baptiſterium, ut Petrus Antonius aſseruit, ad Plebalem S. Mariæ Eccleſiam translatum fuit. Simili omnino modo, addiſcent interpretanda eſse Cronici Cæſenatenſis verba dum habet: Nicolaum Federici Feltri Nothum Urbem S. Leonis occupaſse cum Epiſcopatu: hoc eſt cum Eccleſia, in qua ſeſe recipere ſolent territi Cives, ut Hoſtes, ob loci reverentiam, cædibus parcant. Poſtremo, eamdem interpretationem accomodandam eſse Inſcriptioni, quæ ad Cathedralis tertiam columnam legitur, vel ex eo liquet, præter hucuſque dicta, quod ſi per ea verba: *moles Epiſcopatus*: indicari voluiſsent Ædes Cathedrali contiguæ, pro Epiſcoporum habitatione ſimul tempore ædificatæ, ut contendit Marinius, profecto ipſius Epiſcopii fronti, aut ſuperliminaribus Palatii fuiſsent appoſita, non vero interiori Cathedralis columnæ. Pergit ultra Calvius, & nedum Palatium Epiſcopale, Ædeſque pro Canonicis unquam in S. Leone extitiſse negat, verum neque in deſignato loco conſtrui potuiſse demonſtrat, dum Marinio digitum ad locum intendenti illudens ait: *Oſtende mihi quo in loco potuerint prope Templum hæ fabricari. Illud innixum eſt Rupi abſciſſæ Occidentem verſus, aſcendentique ita, ut nunquam ullis ædibus Area eſſe potuerit; jungitur autem Urbi tenui tantum anguſtia, cujus latera niſi muro utrinque munita eſſent, terribili aſpectu ab ingreſſu Templi deterrerent.*

XXIV. His ſemel everſis ſolidioribus, & inconcuſſis, ut gloriabatur Marinius, opinationis ſuæ fundamentis, ulteriori parcere poſsemus labori in ſequendis veſtigiis, diſcurrentis circumquaque Apologiſtæ, ut ſingulos nominatim Feretranos Antiſtites ad ſuum S. Leonis Caſtrum, ut reſideant, trahat vel invitos. Hoc enim, ut ei pro voto cedat, alterutro ſemper utitur ex iis, quæ hucuſque refutavimus, argumento: Si quidem de iis Feretranis Epiſcopis ſermo inſtituatur, qui a primæva Sedis origine eam implevere, uſque ad memoratæ Cathedralis erectionem; perpetuo hoc utitur Syllogiſmo. Cum Feretrani Epiſcopi eſsent, dubio procul in Monteferetro conſtitere; Mons autem Feretrus alius non eſt a S. Leone: ergo inibi ſedem habuere. At hoc, ut iterum dicam, ex iis, quæ in priori Diſsertationis limine diſputavimus, ſponte ſua præceps ruit. Cæteros vero ſingillatim recenſendo Feretranos Præſules ab erecta Cathedrali ad uſque ſaltem XIV. exſpirans ſæculum, apud S. Leonem habitaſse, hoc alterò probat argumento: Eo in loco Epiſcopos reſediſse pro certo habendum eſt, in quo Cathedralis Eccleſia, Epiſcopale Palatium, Canonicales Ædes conſtructæ fuere; at excitata ſemel apud S. Leonem Cathedrali Eccleſia, Palatium quoque Epiſcopale fuit prope eam ædificatum: Ergo inibi Epiſcopi conſtitere. At falaci huic pariter argumentationi jam abunde ſatisfecimus.

XXV. Aberrantem nihiloſecius Marinium non lubet dimittere, nec licet adhuc; ſupereſt enim, ut ubinam Epiſcopi intermediis ſæculis ſteterint, quos in S. Leone reſediſse, contendebat ille, intento ad locum digito demonſtremus. Utinam injuria temporum, rerum viciſſitudine, & frequenti ab uno ad alium locum, tum Præſulum, tum Cancellariæ Epiſcopalis, tranſmigratione, acta plurima non periiſsent, facillimum ex iis profecto fuiſset ediſcere, quo ſinguli ſedem collocatam habue-

buerint. Ex paucis attamen, quæ adhuc ſuperſunt, ſatis deprehendere poſſumus Epiſcopos Feretranos, ante Pii V, & Gregorii XIII. Conſtitutionem, primum in Oppido S. Marini, deinde in Caſtro Talamelli, poſtremo in Valle S. Anaſtaſii, ut in plurimum reſediſſe. Singulos nominatim, ut hoc evincatur, Marinio præeunte, recenſeamus; expunctis tamen ex Antiſtitum albo *Valentiniano*, & *Alberto*, quos ipſe confinxit, & Pontificia auctoritate uſurpata, Infulis Feretranis donavit, quas, ut videbimus, tunc temporis *Alexander Nerius* geſtabat. Excipiatur quoque, ſi ſic vellit Marinius, excipiatur inquam *Rolandus*, quem putat ex Feltria Gente, S. Leonis Urbi dominante, in S. Leone domos habente, progenitum; quemve, ſi poſtquam etiam fuit Epiſcopali dignitate inſignitus, in Urbe S. Leonis reſediſſe fateamur, non inde inferretur inibi fuiſſe Epiſcopium, ſed ædes, quæ de jure erant Familiæ Feltriæ, inhabitaſſe. Quibus omiſſis; cæteri Feretranorum Epiſcopi ab *Ugolino*, uſque ad *Benventutum* in S. Marini Caſtro conſtitere. De *Ugolino* quidem id patet ex eo, quo ſupra uſi ſumus inſtrumento, in Veruculi Archivio ſervato, quod datum fuit: *in Monte S. Marini in Camera ſupradicti D. Epiſcopi* (nempe Ugolini) *die* 12. *Septembris* 1243; non autem 1253. ut errore fortaſſe Typographi legitur apud Calvium; dicto enim anno jam vita functus fuerat Ugolinus, & a præcedenti Epiſcopatum gerebat *Joannes*, ut ex Epiſtola Innocentii IV. ad ipſum data Non. Novembris Pontificatus ſui anno X. Chriſti 1252. *Robertus* prædicti Joannis ſucceſſor in mandatis habuit a Martino IV, ut Ugolinum Feretranum Præpoſitum, Guidonis de Monteferetro filium, Ghibellinarum partium cum Patre fautorem acerrimum diligentiſſime cuſtodiret. Hoc autem nonniſi ægre admodum in S. Leonis arce, ut futili ratiocinatione contendit Marinius, exequi poterat, facillime vero in Caſtro S. Marini. Sane cuinam

vero

vero ſimile appareat Robertum Epiſcopum adeo Pontifici addictum, eo in loco ſtetiſſe, in quo princeps Domus, nempe Feltriorum Comitum Apoſtolicæ Sedi nimium infenſa, & ea de cauſa Eccleſiaſticis innodata cenſuris dominabatur? Quo poterat pacto, pontificiis mandatis obſequi, in ea Civitate, in qua Principis Filius parata habere poterat Leontinorum ſubditorum officia, qui facile, inermis Epiſcopi auctoritate contempta, ad arma ruere, ſuumque Dominum priſtinæ valebant reſtituere libertati? Id econtra tuto præſtare poterat in S. Marini Arce, naturæ ſimul, & artis opera munitiſſima, in qua proprias Ædes habebant, & dominabantur, ut infra apparebit, Epiſcopi; quæve diruta minime fuerat (ut Marini objectioni occurramus) ab exercitu Pontificio. Ea enim, quæ Parmenſe Cronicon, de vaſtatis penitus Caſtris Feretrani Comitatus ad annum 1282. enarrat, accipienda ſunt de iis, quæ Dominum, aut Ducem habebant Guidonem Feltrium Eccleſiæ hoſtem, non autem de illis, quorum Dominium penes erat Epiſcopum Pontificiæ factioni addictum. Immediate vero poſt *Robertum* Epiſcopatum geſſere, *Rolandus* alter, *Ubertus*, & *Benvenutus*, quos a S. Marino Sedem Epiſcopalem non amoviſſe, ex tribus, per Benvenutum ipſum ſubſcriptis monumentis Pinnæ ſervatis, evincitur. Primum, quo Indulgentias a tribus Epiſcopis Hoſpitali S. Mariæ Pinnæ Billorum conceſſas approbat: *Datum*, legitur, *in S. Marino* 1345. *die* 11. *Maii*; alia vero biennio poſt, quorum altero facultatem facit Lancellotto, ut Oratorium erigere poſſit, & *datum* fuit *in S. Marino die* 27. *Maii* 1347, ſecundo tandem, *dato in S. Marino in Plebe prædicta anno Domini* 1347. *die* 27. *Auguſti*, Altare ligneum portatile poſt Miſſam in Plebe S. Marini, ſe conſecraſse teſtatur.

XXVI. Benvenuto Epiſcopo e vivis erepto, ſedes quoque Epiſcopalis a S. Marini ſublata Caſtro, alio

trans-

Digitized by Google

tranſlata fuit; ad Caſtrum nempe Talamelli. Nec latet ratio. Cum Comes Federicus de Monteferetro moleſtiam Sanmarinenſibus ſæpius crearet, imo Caſtrum illud, Arcemque violenter invaſiſset, nec Epiſcopus, apud quem temporale erat dominium, vim haberet, qua vim Comitis repellere poſset; Joannes XXII. facultatem fecit Benvenuto ut Caſtrum, & Arcem, ad propriam Eccleſiam tunc temporis ſpectantem, utilis permutationis beneficio, aut venditionis titulo Ariminenſibus traderet. Hoc ex Epiſtola, apud Ughellium, anno 1321. data ad Aymericum de Caſtro Lucii Romandiolæ Rectorem, & electum Ravennæ Archiepiſcopum, apertiſſime conſtat. Ex vi hujuſce, a Pontifice impetratæ permiſſionis, vendidit reapſe Benvenutus Epiſcopus Ariminenſibus, Arcem, & Caſtrum S. Marini, pro prætio librarum quatuordecim mille, ut ex Inſtrumento ſub die X. Januarii 1323. confecto, & a Clementinio per extenſum reportato, evincitur. Hiſt. Arimin. Lib. 6. pag. 9.

XXVII. Aut ergo hanc temporalis dominationis abdicationem ab Epiſcopo factam ægre tulerint Sanmarinenſes, aut alia de cauſa, ſua inibi ſecura quiete frui deinceps non potuerint Epiſcopi, Sedem inde amovere, & ad alium, ditionis pariter Epiſcopalis, locum transferre decreverunt. In tribus præcipuis Caſtris eo tempore dominabantur Feretrani Præſules, ut ex Deſcriptione illius Provinciæ, juſsu Gregorii XI. facta anno 1371. per Cardinalem Anglicum, didicimus. Primum erat *Caſtrum Montis Cerignonii*, de quo in ea legitur: *eſt in quadam Valle ſuper Flumen Conchæ, in quo eſt Rocca fortis, ad cujus cuſtodiam moratur unus Caſtellanus cum duobus Famulis pro D. Claro Epiſcopo Feretrano*. Secundum *Caſtrum Majoli ſitum*, ut inibi dicitur: *ſuper quodam altiſſimo ſaxo, in cujus ſummitate eſt Rocca fortiſſima, & undique Ripæ magnæ, & in pede dicti ſaxi ſunt Burgi; ad cujus cuſtodiam moratur unus Caſtellanus pro D. Epiſcopo Feretrano, & ibi moratur unus Vicarius pro eo, qui*

mini-

Digitized by Google

miniſtrat juſtitiam Hominibus dicti loci in Civilibus, & Criminalibus; eſt ſitum ſuper Flumen Mariculæ, prope ſtratam, qua itur verſus Thuſciam. Tertium tandem erat *Caſtrum Talamelli*, de quo habetur: *eſt in quadam Valle, in qua eſt Rocca fortis, in qua moratur D. Epiſcopus Feretranus, & eſt Epiſcopatus Feretrani, & eſt ſuper Flumen Mariculæ, & Stratam qua itur verſus Thuſciam. Homines dicti Caſtri obedimnt D. Epiſcopo in Civilibus, & Criminalibus*. Hinc certo conſtat, Talamelli Caſtrum præ cæteris electum fuiſse ad Epiſcopalem Sedem amotam a S. Marino, in eo collocandam, ibique eam occupaſse *Clarum Peruzzium* Benvenuti immediatum ſucceſsorem, *Benedictum*, *Joannem de Seclaniis*, *Angelum de Clarevalenſibus*, cæteroſque uſque ad *Adimarium*. Præſto ſunt monumenta, quibus id evincamus. Et quidem *Clarum Peruzzium* quod ſpectat: præter Cardinalis Anglici mox memoratum teſtimonium, Autographum ſervatur in Archivio Pinnenſi donationis ab eo factæ Menſe Auguſti 1372. Auguſtinianis Fratribus Eccleſiæ S. Criſtophori: *Acta in Gyrone Talamelli in Domo Domini Epiſcopi*. Binos, poſt Clari obitum ſibi deſignatos Præſules habuit Feretrana Diæceſis; *Pinnum* ab Urbano VI. conſtitutum Eccleſiæ huius Commendatarium, & *Lucam* a Pſeudopontifice Clemente VII. ordinatum; neuter tamen, vel a primo limine, ſibi deſponſatam Eccleſiam ſalutavit. Epiſcopalem Feretranam Cathedram, quam ii vacuam reliquere, implevit *Benedictus*, quem in Caſtro pariter Talamelli, reſediſse apparet ex litteris in Cancellaria Epiſcopali ſervatis, quibus Miſericordiæ Sodalitatem Pinnæ inſtituit, quarum hoc initium, hic finis. *Benedictus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Feretranus. Dat. in noſtro Caſſaro Talamelli die 1. Julii Indict. IV.* 1396. Fratris quoque *Joannis de Seclaniis* immediati poſt Benedictum Epiſcopi, reſidentiam in Talamello ſatis probat Inſtrumentum in Archivio Confraternitatis S. Mariæ dę Miſericordia repoſitum, quo Indulgen-

tias

tias a quibusdam Epiſcopis conceſſas, & a Benedicto admiſſas ipſe quoque confirmat, & approbat. En ipſius verba: *Nos Joannes miſericordia divina Epiſcopus Feretranus, viſis indulgentiis ſupraſcriptis, conceſſis .... acceptamus, & approbamus &c. Dat. Talamelli in domibus Epiſcopalibus anno* 1413. *Indic. VI, tempore SS. in Chriſto Patris D. D. Gregorii divina providentia Papæ XII die* 15. *præſentis Menſis Maii*. His accedit Clementinii Ariminenſis Hiſtorici teſtimonium, dum refert Joannem in eodem Talamelli Caſtro diem ſupremum vidiſſe, inibi terræ mandatum, dictumque propterea Epiſcopum Talamelli. *Franciſcus* quoque *Angelus* de Clarevalenſibus, qui præmortui Joannis locum implevit, ibidem reſedit, ut aperte enunciatur per Inſtrumentum anno 1449. confectum inter Homines, & Commune ejusdem Caſtri, & dictum Præſulem, quod ſic clauditur: *Actum in Caſtro Talamelli, & in Sala majori reſidentiæ præfati Domini Epiſcopi, poſita in dicto Caſtro juxta plateam Communitatis.*

XXVIII. Brevi annorum ſpacio, poſt vita functum Clarevalenſem, quatuor ſucceſſive Feretranam Eccleſiam Epiſcopi obtinuere: nempe *Jacobus Theobaldus*, *Andreas*, *Corradus*, *Jacobus alter*; quorum prior aſſumptus ad Purpuram incompleto ſexennio, Tertius vix renunciatus Epiſcopus ad Tarracinenſem Eccleſiam tranſlatus, duo alii morte correpti Infulas Feretranas *Roberto Adimario* conceſſere induendas. Hunc pariter, primis ſaltem annis, quibus Præſulatum geſſit, in eodem Talamelli Caſtro ſedem tenuiſſe certo certius eſt, cum fides non haberi non poſſit ſequenti Inſtrumento, quod in vetuſto Codice Laudemiorum Abbatiæ S. Anaſtaſii, & in Cancellaria Epiſcopali cuſtodito, legimus: *Anno a Nativit. D.* 1461. *Indic. IX tempore Pii Papæ II, die vero* 26. *Januarii R. in Chriſto Pater D. Robertus de Adimariis de Florentia Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Feretranus .... & jure Abbatiæ S. Anaſtaſii, membri dicti* pagina 148.

F *Epi-*

Epiſcopatus, per ſe, & ſuos ſucceſſores, ac vice, & nomine dicti Epiſcopatus dedit, conceſſit, locavit, atque renovavit Tuſio Creſci de Monte Grimano unam petiam terræ &c. Actum in Caſtro Talamelli Feretranæ Diœceſis in Domo Epiſcopali, cui undique via communis &c. At abdicato poſtea, ſeu alia de cauſa amiſſo dominationis jure, quo fruebantur Epiſcopi in Caſtro Talamelli; eo enim tempore, ut nonnulli referunt, Caſtrum illud Roberto Malateſtæ Soliani Domino, jure, an injuria, neſcimus, parere cæpit; impetravit *Adimarius* ut S. Anaſtaſii in Valle pervetuſta Abbatia Feretrano Epiſcopatui in perpetuum annecteretur, in qua tum ille, tum Succeſſores uſque ad Cathedralis translationem reſediſſe, fatentur Leontini ipſi, chorum ducente Apologiſta Marinio. Hoc tamen intelligas velim eveniſſe, poſtquam aliquandiu in *Monte Taxorum* ſtetiſſet Adimarius; (forſaſſe apud Pandolphinios, ſeu Gandolphinios ejusdem Caſtri Dominos, quorum Nobilem Puellam Nepoti ſuo deſponſandam procuraverat) id enim patet ex Privilegio, quo Tabellionem inſtituit Petrum Franciſcum de Monte Grimano: *Dato in Monte Taxorum anno* 1477. *Indic. X. tempore Sixti Papæ IV die* 1. *Junii*, apud Ughellium. Hæc quæ hucuſque recenſuimus, monumenta, quæve ubinam Epiſcopi pro tempore ſteterint, intento ad reſidentiæ locum digito, edocent, deceptum fuiſſe evincunt mox memoratum Ughellium ſcribentem; quod: *Epiſcopi ante annos* 1300. *Abbatiam S. Anaſtaſii de Valle in medio Feretranæ Diœceſis ſitam ad hæc uſque tempora pro Epiſcopio, & Cathedrali delegerunt;* patet ex iis enim, non ante initium tertiidecimi ſæculi, ut ille ſcribit, ſed declinante duntaxat quintodecimo Epiſcopos in S. Anaſtaſii Valle, quam tunc primo obtinuerant, conſtitiſse; nec pro Cathedrali, Eccleſiam illam habuiſſe unquam.

XXIX. Plura, quæ hucuſque dedimus, ſatis, puto, ſuperque eſsent ad evertendas, cum Epiſcopio, ipſas quo-

quoque Canonicorum ædes, ab Apologiſta Leonenſi excogitatas. Nihilominus addere liceat: congruam nullam in S. Leone Præpoſituræ domum extitiſse, ut jactat Marinius, ſed vetuſtam duntaxat Domunculam, quæ Capellanum, curam inibi animarum gerentem, vix capere poterat; nullas Canonicorum Ædes, quibus merito conveniret, aut nomen tribueretur vulgo *la Canonica*; ſed arctiſſimum duntaxat Tectum, ſub quo non toto anno degere, ſed quo tegi poſsent ea tantum die, qua recurrente S. Leonis Feſto, ad eum locum accedebant. Nec hoc gratis aſsertum, quinimo ex ipſo venditionis inſtrumento deductum; ſcripſit ſiquidem Notarius, eſto Leontinus, Canonicales Ædes cum Horto, & ut ajunt, aggiamentis pro exiguo duodecim ſcutorum pretio venditas fuiſse; ex quo ſatis conjicere eſt, an pro quinque Canonicorum habitatione ſat eſse potuerint, & inſigne *Canonicæ* nomen fuerit eis jure a Marinio tributum. Igitur Canonici, quibus, erecta etiam Cathedrali, Ædes [illegible], & nonniſi [illegible]nuiſſimæ, nec pro victu ſufficien[illegible] erant præbendæ, Antiſtitum exempla ſecuti, minime divino cultui in S. Leone ſatisfaciebant; ſed titulo duntaxat ſervato, apud Parochiales Eccleſias, quas regendas obtinuerant, reſidebant. Collationum Beneficiorum libri, adhuc in Epiſcopali Archivio ſervati, inſpiciantur, & paſſim reperire erit S. Leonis Canonicos, Parochialium Eccleſiarum, Rectores deſignatos. En, ut plures priores, poſterioreſve prætereamus, en, inquam, quinque Canonicorum (ex totidem enim Feretranum Capitulum componebatur) anno 1391. viventium, præter Marinum Belluzium Præpoſitum, nomina: *Benedictus Rector Eccleſiæ Parochialis S. Pauli de Majolo. Philippus Gualteroli Archipræsbiter S. Caſſiani de Pitino. Andreas Cecchini Rector Eccleſiæ S. Chriſtophori de Certalto. Angelus Joannis de Peruſio; & Sanctes a S. Leone Archibræsbiter Plebis S. Petri in cultu de Talamello.* Quinimo ipſum Marinum Bel-

Digitized by Google

luzium Capituli Feretrani Præpoſitum, conſtitutum paulo poſt reperimus: *Archipræsbiterum Plebis Corenæ*. Plura præterea a Canonicis capitulariter acta ſive in Caſtro Talamelli, ſive alibi, antiqua monumenta teſtantur.

XXX. Proximioribus ſaltem translationi Cathedralis per S. Pium V factæ, temporibus, nedum Epiſcopos, quod Feretranus Apologiſta fatetur; verum & Canonicos apud S. Leonem non reſediſse, pluribus, præter jam dicta, poteſt probari. Et primo quidem; Inſtrumento dato die 29. Octobris 1543, cujus Autographum in Archivio ſervatur, & verba ſunt hæc: *Reverendiſs. D. Antonius Philonardus Epiſcopus Verulanus. Reverendiſs. D. Ennii Cardinalis Philonardi Epiſcopi Feretrani Vicarius, & Locumtenens Generalis; cum repererit quod in Eccleſia Cathedrali S. Leonis Feretranæ Diæceſis non reperiebatur aliquis Præsbiter, qui officiaret dictam Eccleſiam, quod ſibi mirum in modum diſplicuit, & pro tempore futuro, & in poſterum ordinavit, quod i[illegible] dicta Eccleſia R. R. D. Præpoſitus, & Canonici tam præſentes [illegible]uam qui pro tempore futuro erunt, [illegible]beant retinere in dicta Eccleſia Cathedrali unum Capellanum ad officiandam dictam Eccleſiam, cum ſolita, & convenienti mercede. Actum in S. Leone rogat. Joanne Baptiſta Fontanella de Monte Madio Notario Apoſtolico*. Teſtimonio inſuper Hieronymi Ragazzoni Epiſcopi Famauguſtani hujus Diæceſis, ex mandato Gregorii XIII, Apoſtolici Viſitatoris anno 1574, qui de Cathedrali S. Leonis hæc habet in ſuo Decreto: *Nam modo nulla certa ſedes Eccleſiæ bujus Miniſtris attributa, nullum fere Epiſcopalis dignitatis in boc Epiſcopatu veſtigium apparet; & divinus cultus debitis obſequiis Cathedrali unicuique Eccleſiæ aſſignatis defraudatur*. Poſtremo Actibus Synodalibus ſub Sormano Epiſcopo, ex quibus conſtat, quod ii, qui Canonicatus Feretranos obtinuerant, Parochialium Eccleſiarum curam gerebant: *Sylvius Novellus* Frontinenſis, Archipresbyter erat *Caſtri Ilicis; Seraphinus Ambroſetti* a Majolo, Rector erat Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ *Schigni*, & *Benedictus Bonellus* Sanmarinenſis, Rector erat, Eccleſiæ S. Andreæ *de Aquaviva*.

XXXI. Diæceſanas poſtremo Synodos in quatuor alternatim Oppidis præcipuis haberi conſueviſse, diſertis verbis enunciatur in Epiſtola Cardinalis Alphonſi Caraffa, data die 29. Maii 1590, & in Archivio Capitulari repoſita; qua S. Congregatio Concilii præcipit Epiſcopo, ut de cætero in Cathedrali Pinnæ Billorum ſuas Synodos congreget. Ex ipſis autem actibus in Cancellaria Epiſcopali exiſtentibus, quatuor locorum nomina deprehenduntur, in quibus Synodos cogere Epiſcopi conſueverunt; & ſunt *Pinna*, *Caſtrum S. Marini*, *S. Agathæ*, & *Macerata*. Ex his igitur omnibus, quæ data opera fuſiori ſumus calamo proſecuti, quis non quæſo meridiana luce clarius percipiat, toto oſtio aberraſse recentiores Hiſtoricos nonnullos, & Lexicographos, S. Leonem Civitatem Epiſcopalem paſſim vocitantes, a primis fortaſse ſæculis Epiſcopali dignitate donatam. Quis inquam non percipiat, quam longe a vero receſserint Leontini obfirmato animo contendentes a prima Epiſcopatus inſtitutione ad uſque quartumdecimum ſaltem, vel quintumdecimum fortaſse ſæculum, Epiſcopium in S. Leonis Caſtro immotum ſtetiſse, Epiſcopos, quæ ſui muneris erant inibi peregiſſe, & Canonicos Cathedralis illius ſervitio mancipatos, officio, cæteriſque divinis in ea quotidie vacaſse? Ughellius ipſe, eſto a Leontinis edoctus, plura ad eorum palatum ſcripſerit, hanc craſſiorem fabellam ebibere recuſavit; ait enim: *nunquam, aut exiguo tempore Epiſcopi in ea* (ideſt in S. Leone) *reſederunt*.

XXXII. Hinc factum eſt, ut S. Pius V. indecens omnino reputans, in nimiam divini cultus diminutionem cedens, quodque plurimorum inconvenientium origo erat, quod fixus nullus pro Epiſcoporum reſidentia locus exiſteret in Monteferetro, Cathedralis nulla, in qua divina, ut ſolet, & condecet, quotidie

per-

Digitized by Google

perſolverentur officia; aptum ſitu, & commoditate locum ſtatuerit deligere, novamque excitare Cathedralem Eccleſiam, in qua facilius ſacra peragi poſsent, & non reſidentium Canonicorum cum Epiſcopo effugium quodcunque præcluderetur. Delegit autem Oppidum in medio veluti Diæceſis ſinu collocatum, & *Pinna Billorum* dictum, quod Antuerpienſes Bollandiani Operis continuatores pro uno, eodemque loco cum *Macerata Feretrana, & S. Anaſtaſii Valle* habuere. Acta enim S. Leonis Eccleſiæ hujus Patroni die 1. Augusti exhibentes, eaque diligentiori ſtudio diſcentere prætium operis non reputantes, dixere; *Quidquid in iſtius Civitatis laudem* (nempe S. Leonis) *commemoratur, efficere non potuit, quin Eccleſia Cathedralis in Vallem translata ſit, ubi Epiſcopi modo reſident, ſive Pinnam voces, ſive Maceratam Montis Feretrani*. En multiplex pauciſſimis ſub verbis recubans error, Antuerpiæ tamen degentibus, facile condonandus. Quam longe diſtet a vero, tum S. Leonis Civitatem Epiſcopio donatam fuiſse, tum Sedem ſuam Epiſcopos in S. Anaſtaſii Vallem primo tranſtuliſse, tum tandem Feretranos Præſules nunc etiam inibi reſidere, vel eo ſaltem ævo, quo Viri illi, alioquin Clariſſimi, hæc ſcribebant, reſediſse; ex iisquæ hucuſque diſseruimus jam ſatis conſtat. Unum ergo ſupereſt, illudque Incolis, finitimiſque notiſſimum, pro veritate monendum, tria recenſita loca diverſa omnino eſse, tamque disjuncta, ut ab uno, ad aliud niſi poſt plures laborioſi itineris horas etiam equitando pervenias. *Pinna* Oppidum eſt ad radices prælti Carpinei Montis Occidentem verſus conſtructum, a Flumine *Ariminо* vulgo *Marecchia* non longe poſitum, a duobus valde editis, ſed parum diſſitis, munitis olim, nunc vero dirutis Caſtris, quorum unum *Pinna* dicebatur, aliud *Billi*, compoſito nomine *Pinna Billorum* nuncupatum. *Macerata* vero Montisferetri inter S. Leonem, & Urbinum ſita eſt, ex maceriis antiqui *Petini*, at non eodem

dem plane loco conſtructa, ut ſcribit Holſtenius; *nam Petini veſtigia in Perſenæ montis levi faſtigio conſpiciuntur, ex cujus ruinis Macerata ad vicini montis radices fuit ædificata*. Caſtrum tandem *S. Anaſtaſii* in quadam valle conſtructum quinque mille paſſus a S. Leone diſtat, & radices Titani Montis, ſeu Agri Reipublicæ S. Marini fines attingit. Suas equidem habent utrobique ædes Epiſcopi Feretrani; in caſtro ſcilicet *Vallis S. Anaſtaſii* antiquum tenent Monachorum Cænobium, ſub Epiſcopo Adimario anno 1461. Feretranæ menſæ perpetuo conceſſum; & extra Oppidum *Maceratæ* Archipræsbiteralem Domum prope Eccleſiam SS. Hyppoliti, & Caſſiani Epiſcopali pariter menſæ in perpetuum unitam, id anno 1544. Ennio Philonardo procurante, & obtinente. At Cathedralem Eccleſiam cum Epiſcopio, quod hinc inde, ut vidimus transferrebatur, collocavit, firmavitque Pius Papa V. per Bullam a ſucceſſore ipſius Gregorio XIII. expeditam anno 1572. in Oppido *Pinnæ Billorum* ſitu opportunum, & populi multitudine ſatis refertum.

XXXIII. Collegiata in eo erat Eccleſia ſub invocatione S. Bartholomęi, Apoſtolica auctoritate inſtituta. Sex nanque Sæculares Sacerdotes Congregationis in Eccleſia S. Antonii de Penna Billorum canonice erectæ Alumni; nempe: *Julius Ravignanus*, *Egidius Saracenus*, *Jacobus Burgundius*, *Federicus Guardiani*, *Joſeph Oliverius*, & *Andreas Baldonius* ſupplici libello Paulo Papæ IV porrecto petiere, ut Eccleſiam præfactam, ſuppreſſa invocatione S. Antonii, in Collegiatam erigere, ſub invocatione S. Bartholomęi cum una Præpoſitura, & duodecim Canonicatibus dignaretur. Res eis pro voto ceſſit, ut ex Bulla: *Sacri Apoſtolatus* data apud S. Marcum 17. Kal. Octobris 1555, apparet. Hoc igitur, cum SS. Pontifici Pio V. innotuiſſet, probeque ſciret, in ſuppradicta Collegiata Eccleſia, in qua jam per Præpoſitum, ac ſex Canonicos cultus divinus exerceba-

Digitized by Google

cebatur, commode poſſe tum Epiſcopum, tum Canonicos Feretranos reſidere, & una cum Canonicis S. Bartholomæi divina perſolvere; *de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine* (verba Bullæ uſurpamus datæ Sex. id. Julii Pontificatus ſui anno V.) *Eccleſiam Feretranam eatenus non frequentatam, & in qua tam Franciſcus, & qui pro tempore fuerunt Feretrani Epiſcopi, ac Canonici dictæ Eccleſiæ Feretranæ non reſederant, ad dictam Collegiatam Eccleſiam una cum ejusdem Eccleſiæ Cathedralis inſigniis, auctoritate apoſtolica tranſtulit; ita ut deinceps liceret Franciſco, ac pro tempore exiſtenti Epiſcopo Feretrano, ac ipſius Eccleſiæ S. Leonis Præpoſito, & Canonicis prædictis, in dicta Eccleſia S. Bartholomæi reſidere, & divina officia inibi una cum illius Canonicis decantare; quodque dictæ S. Leonis, & S. Bartholomæi Eccleſiæ, non amplius duæ, Cathedralis ſcilicet, & Collegiata, Eccleſiæ nuncuparentur, ſed una tantum Eccleſia Cathedralis exiſteret .... Et earum Eccleſiarum Canonici unum corpus efficerentur.... unum duntaxat Capitulum in ſimul facerent .... Et ut eadem Eccleſia Feretrana in eamdem Eccleſiam S. Bartholomæi ſic tranſlata per amplius miniſtris honoraretur, & dignitatibus accreſceret more aliarum Cathedralium inſignium in illa unum Archidiaconatum, qui pro prima poſt Pontificalem, & unum Archipræsbiteratum, qui ſecunda inibi dignitates exiſterent.... perpetuo*

Vide per extenſum apud Calvium.

erexit, & inſtituit. Hanc attamen jam conceptam (quod S. Pio ad ſuperos evolato non licuit) Bullam firmavit, expedivitque ſucceſſor ejus Gregorius XIII. Oct. Kal. Junii 1572, Pontificatus ſui anno primo. Ex tunc igitur Collegiata olim S. Bartholomæi Eccleſia, haberi cæpit pro Cathedrali, & in ea cæperunt Canonici divina perſolvere, ad eamque Epiſcopus, qui congruam nondum Pinnæ, habitationem habebat, ſolemnioribus ſaltem anni diebus, Pontificalia peracturus accedebat.

XXXIV. At cum Eccleſiam illam, non tam vetuſtate, quam Soli vitio ruinam jamjam minitantem conſpiceret, de nova Cathedrali in ſolidiori loco a fundamentis erigenda, cogitare cæpit Epiſcopus Sormanus; fa-

cul-

cultatemque ad id perficiendum petiit a ſupradicto Gregorio, obtinuitque per litteras in forma Brevis die 5. Decembris 1576. expeditas, & in Archivio Capituli in hanc diem aſſervatas. Nec longiori interpoſita mora, ſexta die Octobris ſequentis anni 1577. in Mercatali Pinnæ Billorum, ubi nunc extat, Crucem erexit, ſequentique die 7. primum angularem lapidem in fundamentis poſuit, duobus ſub eo conſepultis nummis, ſeu, ut vocant, Medaliis, quæ S. Pii V, & Gregorii XIII effigies referebant. Novi Templi ædificationem adeo urgere cæpit Epiſcopus, Pinnenſibus opes, & operam certatim miniſtrantibus, ut anno 1584. jam ad complementum perductum opus fuiſſe, conjectari liceat; tum ex Epigraphe, quæ ſuper majorem januam legitur his verbis concepta: *D. Leoni dicatum MDLXXXIV. Jo: Franciſcus Sormanus Epiſc. Feret. erigendum curavit;* tum ex pluribus eo, & ſequenti anno Capitulis in choro novæ Cathedralis per Canonicos congregatis, ut ex illorum Regeſtis. Pinnenſem hanc Cathedralem paucis deſcripſit ſupra memoratus Calvius, cui & nos oculati teſtes acquieſcimus. Dicit itaque: Eam unica conſtare navi, ſed extructo utrinque ſacello formam Crucis referrente, & adeo in longum, latumque extenſa, ut ſine Præsbiterio, quod ſecundum artem reliquarum partium magnitudini reſpondet, centum quadraginta tres longitudinis, palmos Romanos vocant, latitudinis quadraginta contineat. In illa decem olim, & quinque Altaria erant, quorum modo imminutus eſt numerus, eorumque ſpatia elegantiſſimo Pulpito, Baptiſmali fonte, & Confeſſionibus excipiendis Tribunalibus occupata. Nec præclariora, utpote ſpiritualia ei deſunt ornamenta; inſignes nempe Sanctorum reliquiæ, aut decens omnino Miniſtrorum numerus. Servatur in ea ſiquidem Tibia S. Leonis Titularis ejusdem, & totius Diæceſeos Patroni, integrum Corpus S. Abbundantii Martiris, Cingulum quodam S. Joannis Bapti-

Digitized by Google

ſtæ , de præcordiis S. Philippi Nerii, & aliæ quam plurimæ.

XXXV. Miniſtros vero , quod ſpectat : In prima quidem Cathedralis Pinnenſis inſtitutione , undecim duntaxat Canonici enumerabantur , ac una Præpoſiti dignitas, qua duodenarius Miniſtrorum numerus complebatur . Binas Dignitates Archidiaconatus nempe , & Archipræsbiteratus addidit S. Pius V, ut ex reportata erectionis, ſeu translationis Bulla, non autem Clemens VIII, ut falſo ſcripſit Ughellius, cujus hallucinationis occaſionem paucis accipe. Juxta memoratam Pii Bullam Archidiaconus prima Dignitas eſſe debebat , altera Archipræsbiter, tertia vero Præpoſitus. At cum priores binæ Dignitatis oneris quidem plurimum, honoris etiam nonnihil, nil vero lucri præſeferrent, diu vacantes fuere, quin aliquis optaverit iis inſigniri; unde factum fuit ut Præpoſitus prima , utpote unica in Capitulo dignitas haberetur . Aliquot poſtmodum elapſis annis, Clemente VIII Petri ſedem implente, honoris titulo illecti, & nuda etiam dignitate contenti Cæſar Parzetti, & Joannes Maria Chiavarotti, prior Archidiaconatum, alter vero Archipræsbiteratum petiere, obtineruntque , primas in Capitulo ſedes , ſupra Præpoſitum, juxta Pii Bullam, expoſcentes. Non diu tamen ſuper hoc dimicatum, nec ſero nimis illuxit pax; amice ſiquidem convenere, ut prior, quem uſque tunc tenuerat , locus Præpoſito etiam in poſterum ſervaretur, ſecundus Archidiacono, tertius Archipræsbitero . Ut autem perpetuo , inita ſemel , concordia ſubſiſteret, Pontificia Clementis VIII , quam uno ore impetraverant , acceſſit auctoritas ; ſumptibus tamen parcentes , Breve ſub die 7. Martii 1604. ſignatum , ut expediretur curare neglexerunt. Hoc, non aliud præſtitit Clemens , litem nempe inter dignitates , jam a Pio V. inſtitutas, compoſuit, ſeu pacem jam ſancitam firmavit . Feretranæ Cathedrali , cujus Præpoſituram

gere-

gerebat, Marius Sabellius ſtudens decori, binos Canonicatus proprio ære fundavit; nec non præbendam pro uno Manſionario a Succeſſoribus Præpoſitis eligendo; exemplum ſecutus Juliani Stephanii, qui alteram, & Joannis Mariæ Franchini, qui binas de jure patronatus capituli, propriis inſtituerant expenſis. Hinc Sacerdotes viginti; tres ſcilicet Dignitates, tresdecim Canonici, & quatuor Manſionarii, congruum in dicta Eccleſia ſupremo Numini exhibent famulatum; præter Sacerdote alios ſponte ſua Sacris intereſſentes, & Clericos Seminarii Epiſcopalis alumnos inibi miniſtrantes. Duplicem demum Præbendam in ea Cathedrali, Epiſcopi inſtituere; Theologalem nempe Jacobus Boni, & Pœnitentialem Bernardinus Belluzzius, quarum onus ſubeunt, prioris quidem Archidiaconus, poſterioris vero e Canonicis unus. At unde paululum diſceſſimus, revertamur.

XXXVI. Verebantur Pinnenſes, ne ſicuti priori apud S. Leonem exiſtenti, ſic apud eos recens erectæ Cathedrali eveniret, ut nempe defectu Epiſcopii, a latere Sponſæ ſuæ aliquando divellerentur Antiſtites, ac alibi reſiderent. Hinc collatis conſiliis, omnes certatim in eam ſententiam deſcenderunt, ut Palatium aliquod pro Epiſcopi habitatione conduceretur; quod paulo poſt numerata pecunia etiam compararunt; ut ex duobus Inſtrumentis per Joannem Thomam Vitum de Saxocurvario, ſub die 12, & 13. Auguſti 1603 rogatis. Noviſſime autem Epiſcopus Calvius, paucis ab hinc annis vita functus, Epiſcopium illud ornandum, amplificandumque ſuſcepit, imo aliquot proprio ære coemptis proximis domibus, & Solo equatis, pro medietate magnifice auxit.

XXXVII. Sane vix exprimi poteſt, hanc Pinnæ, pro Cathedrali, & Epiſcopali ſede, deſignationem per Pontifices factam, quam ægre tulerint Leonenſes Viri. In latus quodcunque ſeſe contorquentes artes, of-

ſcia, conatus omnes adhibuere, ut ipſis Epiſcopale Solium reſtitueretur, quod nunquam apud eos ſtetiſſe, invitis momentis probabant Pinnenſes. Non inde tamen ſpem omnem obtinendi aliquando, quod in votis habebant, Leontini abjecere; quinimo integro ferme elapſo ſæculo, ex inſidiis veluti, inopinato erumpentes, certamen inſtaurarunt. Ut ipſorum artes eluderent, ac impetus frangerent, ſtetere intrepidi ex adverſo Pinnæ Billorum Cives; pro quibus quacunque vice victoria ſtetit. Iterata Feretranorum prælia, totidemque, quas reportarunt palmas Pinnenſes, indicare lubet verbis ipſis ex duplici Pontificio Brevi deſumptis. In priori quidem, per Innocentium Papam XI ſignato die 30. Auguſti 1685. hæc habentur: *Communitas Caſtri S. Leonis plures libellos ſupplices obtulit ſanctiſſimo, quibus ad S. Congregationem remiſſis datæ fuerunt litteræ pro informatione, & voto ad Archiepiſcopum Urbinatenſem, qui utriuſque partis rationibus ponderatis, prætenſiones Communitatis lato calamo conſcriptas reduxit ad hæc capita .... Secundo: An Eccleſiæ Caſtri S. Leonis reſtituendum ſit Capitulum ad Eccleſiam Pinnæ Billorum, ut ſupra translatum? Die 2. Maii 1682. S. Congregatio Eminen. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum .... ad ſecundum reſpondit negative.* Ut vero deciſioni huic Apoſtolicæ auctoritatis robur accederet, enixe petiere, obtinueruntque tandem citato anno ab Innocentio XI Feretrani Canonici, per Breve, cujus verba hucuſque uſurpavimus. Poſt hæc, quaſi triumphi fiduciam, ſimul & dimicandi animum jam abdicaſſent Leontini, quatuor ſupra quadraginta annis doloſe quievere, donec propitia, quo fato neſcimus, eis occurrente, occaſione arrepta *Motum proprium* a Benedicto XIII. anno 1729. ſignatum reportavere, quo Eccleſia S. Leonis in priſtinam dignitatem Cathedræ, & Reſidentiæ Epiſcopalis reſtituebatur. Ex tam inopinato Hoſtium occurſu, & quam buccis crepantibus canebant, victoria, nil territi Pinnen-

nen-

nenſes, oris aperitione a S. Congregatione, impetrata, invaliditatem, cui dictum Motum proprium ob ſubreptionem, vel obreptionem obnoxium contendebant, pluribus, iiſque ſolidis momentis probarunt; & propoſito die 13. Januarii 1731. dubio: *An motus proprius, de quo agebatur eſſet exequendus?* S. Congregatio *negative* reſpondit. Quinimo ut communi tranquillitati, quam hujuſmodi contentiones in diſcrimen deducere ſolent, tandem conſuleretur, inſtarunt, ut perpenſis iterum rationum, quæ in utramque partem afferebantur, momentis, deliberare dignarentur Eminentiſſimi Viri: *an ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis die 13 Januarii?* Cui ſupplicationi, ut ſatisfaceret ſacra eadem, Cardinalium Tridentini Interpretum, Congregatio die 28. Julii: *ſtetit in deciſis, & hujuſmodi cauſam amplius non proponi mandavit*. Hoc pariter Congregationis Decretum Apoſtolica ſua auctoritate communitum voluit Clemens Papa XII, per Breve die 7. Decembris ejusdem anni expeditum; cujus verbis in his enarrandis uſi ſumus. Eſto hiſce Congregationis Decretis, etiam Pontificia auctoritate firmatis, obſtrui perpetuo debuiſſent Leonenſium labia, non diu tamen obmutuere; ſed vix elapſo triennio, occaſione Diæceſanæ Synodus per Epiſcopum in Cathedrali Pinnæ, proxime celebrandæ, iteratis clamoribus obſtrepuere; imo (verba damus Epiſtolæ Cardinalis Origii Congregationis Præfecti ad Epiſcopum Calvium datæ die 24. Julii 1734) *petita fuit nomine civitatis S. Leonis nova audientia, adverſus reſolutiones editas in cauſa cathedralitatis, prævio libello SS. D. N. porrecto; at Sanctitas ſua die 17. currentis Menſis Julii inſtantiam rejecit*. Sic Cathedralis Eccleſia, & Epiſcoporum Sedes a S. Pio V. Pinnæ collocata, conquerentibus licet, & fruſtra obmurmurantibus Leontinis, immota uſquenunc ſtetit, ſtabitque in poſterum.

XXXVIII. Diſſertationis hujuſce noſtræ priori parte pene ad umbilicum deducta, nonnulla ad priſcam Præ-

Præſulum Feretranorum jurisdictionem, ad Menſæ fructus, ad denique Diæceſeos decus, & amplitudinem pertinentia, liceat brevi ſtilo proferre, ne quid, quod argumentum hoc ſpectare poſſit, intactum præteriiſſe videamur. Trium olim Caſtrorum *Montis* nempe *Cerignonii*, *Majoli*, & *Talamelli* temporale dominium apud Epiſcopos Feretranos ſteriſſe, ex Deſcriptione Romandiolæ per Cardinalem Anglicum facta, cujus ſupra verba dedimus, jam ſatis apparet. Idem æque conſtat de *S. Marini* Oppido; tum ex Bulla *Officii noſtri*, apud Ughellium, data anno 1125, qua Honorius Papa II confirmans Petro Feretrano Epiſcopo Eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones, & jura, recenſet inter cætera: *Plebem S. Marini cum Caſtello, & pertinentiis ſuis omnibus*; tum ex Brevi Joannis XXII. Avinione dato 1318. ad Romandiolæ Legatum, ut nil intentatum relinqueret apud Federicum Montisferetri Comitem, quo fieret, ut *S. Marini* Oppidum ab ipſo vi, ſeu dolo occupatum, Epiſcopo Feretrano reſtitueretur; tum tandem ex ejusdem Papæ litteris, quarum ſupra meminimus die 22. Novembris 1321. datis, facultatem Benvenuto Epiſcopo facientibus, ut Oppidum illud Ariminenſibus venderet. Comitis poſtremo, ſeu alio titulo Epiſcopum Feretranum dominationem aliquandiu exercuiſse in Caſtro *Maciani*, quod a Pinna non longe diſtat, ex ejusdem loci ſtatuto, quod Benedictus Epiſcopus die 10. Septembris 1408. confirmavit, facili poteſt negotio deprehendi. En quibus ſeſe verbis ſubſcripſerit: *Benedictus Epiſcopus Feretranus, Romandiolæ, & Maſſæ Trabariæ Rector, & Theſaurarius Generalis pro S. R. E., & D. noſtro Papa, nec non Dominus, & Rector dicti Caſtri*. Duo inſuper, præ cæteris, ſtatuti ejusdem perpendenda ſunt capita; quorum uno decernitur, ut redituum omnium dimidium eidem Epiſcopo cedat: *tanquam noſtro Reverendiſſimo Patri, & Domino .... quod reſervavit ſibi, & ſuæ voluntati donec viveret, & dominabitur dicto Caſtro*; altero

au-

autem jus appellationum ipſi tribuitur: *tanquam Domino dicti Caſtri Maceani*. Tandem in libello quodam ſupplici, quod anno 1422. Incolæ Caſtri illius Carolo Malateſtæ, obtulere, profitentur: *poſt mortem ſupradicti Theſaurarii ſponte ſeſe Dominationi ſuæ ſubdidiſſe*; unde conſequens eſt, dominandi poteſtatem apud Epiſcopum antea ſtetiſse. Iis vero proceſſu temporis ab Epiſcoporum Dominio ſubductis Caſtris, Epiſcopalis Menſæ imminuti ſunt reditus. Quos autem nunc temporis percipit, proveniunt, ut Feretranii Socii Conticillus, & Maſtinius referunt, quibus non perſpectum id eſſe non poterat, tum ex fructibus, & Emphiteoticis Canonibus Abbatiarum S. Anaſtaſii in Valle, S. Mariæ in Caſtro Talamelli, & S. Salvatoris in diſtrictu Oppidi S. Agathæ; necnon plebalis Eccleſiæ SS. Hyppoliti, & Caſſiani extra Maceratam Feltriam, quas ut Menſæ perpetuo annecterentur, Epiſcopi pro tempore, obtinuere; tum ex cenſu, ſeu, ut ajunt, Cathedratico, quod Parochi, & Beneficiati totius Diæceſis ſive in re, ſive in numerata pecunia pro taxa annuatim perſolvunt; tum tandem ex uberi Poſſeſſione in agro Ariminenſi, quam, ut ſupra diximus, Epiſcopus Benvenutus coemerat.

XXXIX. Parochiales Eccleſiæ per Civitates, Oppida, Caſtra Montisferetranæ Diæceſeos ad populorum ſpirituale ſubſidium, & commodum apte diſpoſitæ olim centum, & ſexaginta, nunc vero ex unione nonnullarum poſt Tridentinum Concilium facta, duntaxat ſexdecim ſupra centum enumerantur; quarum quindecim Archipræsbyterales ſunt, ſive Plebales, quarum ſeriem in Appendice dabimus. Præterea duodeviginti in dicta Diæceſi extant adhuc Regularium virorum Cœnobia, non quindecim tantum, ut ſcripſere Conticillus, & Maſtinius, nec ſex ſupra viginti, ut habet Ughellius. Siquidem Conventum tenent in Caſtro *Petræ Acutæ* Fratres Prædicatores, tres Fratres Mino-

res,

res, quos Obſervantes vocant, nempe in Caſtris *Maceani*, *Montis Madii*, & *Montis Florentini*; ſex Franciſcani, Conventuales dicti, ſcilicet in Oppido *S. Marini*, *S. Leonis*, *S. Agathæ*, *Maceratæ*, *Carpinei*, & *Lunani*; binos Auguſtiniani, videlicet *Pinnæ* unum, alterum vero in Caſtro *Talamelli*; tres Minores Cappucini, ideſt apud *S. Marinum*, *S. Agatham*, & *Petram Rubeam*; unum Servitæ non longe a *S. Marino*; duos tandem Fratres Congregationis B. Petri de Piſis, in Oppidis nempe *S. Agathæ*, & *Frontini*. Plura Regularium Cænobia exiſtebant olim in Monteferetro, de quibus in Appendice, quæ auctoritate Apoſtolica Innocentii X. ſuppreſſa fuere, & reditus ipſorum, vel aliis Ordinum eorumdem Conventibus proximioribus, aut Parochialibus Eccleſiis aſſignati fuere, vel in ſimplex Beneficium conceſſi. Deo etiam dicatis Mulieribus ſex ſunt in Monteferetro Monaſteria; videlicet in Oppido, *S. Marini*, *S. Agathæ*, & *Maceratæ Feltriæ* Aſceterium habeat Clariſſæ; in *Monte Cerignonio*, & *Petra Rubea*, quæ S. Auguſtinum Parentem colunt, & *Pinnæ*, quæ, ſub D. Dominici Patris noſtri regula, Deo famulantur.

XL. Priori, Opellæ hujus, parti quaſi pro coronide erit, quod in maximum Feretranæ Provinciæ decus non cedere nequit; viros nempe aut generis nobilitate, aut rerum geſtarum fama, aut morum ſanctitate clariſſimos protuliſſe. Singulos nominatim recenſere, temporis nonniſi diſpendium eſſet, & ab inſtituto noſtro alienum prorſus. Hinc paucis dicam duntaxat; inibi enutritam *Carpineam* Gentem, non Italiæ tantum, ſed toti Europæ notiſſimam, ex qua Comites de Monteferetro, & Urbini Duces, omnes ſeu virtute, ſeu fortuna, ſeu armorum gloria illuſtres, prodiere. Pinnæ pariter Montisferetri Incolas fuiſſe primos *Malateſtas* (uti ex notis conſtat, quibus eorum Cronicon illuſtravimus), qui nedum per plures Adriatici litoris meridionalis Civitates, verum per totam Æmiliam,

Opuſc. Caloge. Tom. 44.

Pice-

Picenum, Lombardiam, cæteraſque conterminas Italiæ Urbes diu, lateque ſunt dominati. Ex eadem poſtremo Provincia oriundos fuiſſe *Dominos de Fagiola*, *Comites Olivos de Plano Meleti*, *Marchiones Fregoſos*, & alios. Nec germinum duntaxat ortu, armis, dominatione, muneribus, illuſtrium extitit fæcunda Parens, ſed nonnullos etiam ſanctitate celebres Filios aluit, & veneratur; quos inter *Matthæum a Baſcio* (quod Caſtrum a Pinna non longe eſt poſitum) quem Cappucini vel Parentis, vel primi Reformatoris loco habent; *B. Philippum de Pinna Billorum*, & *B. Rigum de Miratojo*, cujus corpus in Eccleſia Parochiali ſervatur, ambos Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Profeſſores. His ortu Feretranis, binos addere non incongrue poſſumus, inſignes dictæ Diæceſeos Advocatos; *Beatum* nempe *Albericum* Monachum Miraculis, & aquarum ſalubritate celebrem, cujus oſsa ſunt in Eccleſia Vallis S. Anaſtaſii repoſita; & *Beatum Dominicum Spataſora* Ordinis Prædicatorum, Conventus Montis Cerignonii Fundatorem, cujus incorruptum corpus in Eccleſia S. Mariæ loci ejusdem, ſumma Fidelium veneratione colitur, & crebris prodigiis emicat; ut conſtat ex ejus Vita, quam typis dedimus. Ii vero præ cæteris Cæli Civibus, quos potiſſimum venerantur, quorumve gloriantur, potiori jure, exuviis, & plurimum fidunt patrociniis Feretrani Populi, ſunt Sancti *Leo* totius, ut alibi diximus, Diæceſeos Patronus, & individuus ejusdem Comes *Marinus*. Hinc nemo, puto, nobis, quaſi extra chorum canentibus, in vitium vertet, ſi Feretranam Eccleſiam pro poſse illuſtrantes; eorum acta fuſiori paululum calamo exhibeamus, ut Opellæ hujuſce noſtræ, ſint

H PARS

PARS SECUNDA.

I. INgenue ſtatim fatemur: fons omnis unde a fabellis depurata attingi poſſint geſtorum *Leonis*, & *Marini* notitia, aut latet adhuc, aut nullus extat. Plures equidem hiſtoriam ipſorum ſcripto mandarunt, vel typis vulgatam publici juris fecere; quos inter Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Petrus de Natalibus Lib. 8. cap. 36, Petrus Calò part. 2. lib. 2, Bollandi etiam Continuatores ex Codice Oratorii Romani, & ex Paſſionali Bodecenſis Cænobii, & noviſſimi Alexander Belluzzius; & Joannes Franciſcus Manenti nobiles Sanmarinenſes, quorum Commentarium Italice concinnatum anno 1661, quaſi veritati omnino conſonum, & nil quod auctoritate publicorum Inſtrumentorum, & immemorabilium traditionum, pie per Diæceſim creditarum, non muniatur, præferens authentice approbavit, ſuoque appoſito Epiſcopali ſigillo firmavit Bernardinus Scala Præſul Feretranus. At hi omnes, pace ipſorum dixerim, pari conſenſu easdem fabulas decantarunt, præcinente, ut putamus, cunctorum primo, Codice quodam antiquo Manuſcripto, quod olim apud Confratres Societatis S. Hieronymi extitiſſe Arimini, Cæſar Clementinius teſtatum voluit. Quo vero Auctore litteris conſignata fuerint, quæ in eo de SS. Leone, & Marino enarrantur, ignorarunt Antuerpienſes Haiographi, nec nobis, ut iterum dicamus, deprehendere licuit dum Arimini fuimus; periit enim, quo fato neſcimus, Codex ille, altumque de Scriptoris nomine, apud Clementinium ipſum, ſilentium. Ætatem vero, quod attinet, eſto ſtilus ſæculi IX, aut X Tillemontio apparuerit, tamen XI ſæculi antiquiorem non eſſe, ſatis indicat Clementinius, dum lib. 1. Hiſtoriæ a ſe lucubratæ,

& an-

& anno 1617. editæ, aſſerit Vitas Sanctorum illorum ab annis circiter ſexcentis fuiſſe exarratas. Hinc illud inferas velim dubio ſubmoto, ſcriptorem hunc, quicunque is tandem fuerit, facem quidem præferre potuiſſe, ætate ſpectata, Ferrario, Petro de Natalibus, Petro Calò, aliiſque, minime vero ab iis viciſſim narratiunculas ſuas mutuaſſe. Conferatur, ſi lubeat, & vacet, S. Marini vita ex Petro Calò, cum iis, quæ ex memorato Ariminenſe Codice tranſcripta Antuerpienſes Socii obtinuere, & nedum res ipſas, eodem omnino ſervato ordine, legere erit, verum ipſiſſima, ut in plurimum occurrent uſurpata verba; ut inde certo deducas, quæ Ferrarius, & alii poſt ipſum ex Petro de Natalibus, Petrus autem de Natalibus ex Petro noſtro Caloccio accepta tradidere, Petrum hunc ex Ariminenſe Codice, pene ad litteram tranſcripſiſſe. Infirmam admodum, minimamque eſſe Codicis illius auctoritatem ex ipſa ætate Scriptoris, qui ſex ad minus ſæculis a SS. Leone, & Marino diſtavit, evincunt Bollandi Continuatores; imo fidem nullam ei eſſe adhibendam, ex eo capite Cl. cenſuit Tillemontius, quod plurimis, nedum a veritate, ſed a veri etiam quacumque ſpecie, longe diſtantibus, nullo ſibi nexu cohærentibus, & inter ſomniantium deliria, aut aniles fabellas recenſendis undique ſcateat. Ex hoc igitur primo putido fonte, Acta Sanctorum illorum primum prodiere, quæ exhibere ſtatuimus, ne quid Feretranis, ſatis quidem fortaſse piis, at minus profecto criticis, ipſorum clientulis, fruſtra deſiderandum omiſiſse videamur. Contractiori attamen in iis referendis utemur ſtilo, quæ plurimis, ad faſtidium uſque adhibitis verbis, & confictis, poetica pene licentia, circumſtantiis proſecuti ſunt alii; plura manifeſte cum veritate pugnantia ad fabulas amandantes, alia intacta quidem cenſura noſtra prætereuntes, quin tamen illa calculo noſtro approbare intendamus, quæ proba-

Digitized by Google

tæ fidei monumento aliquo roborata, Eruditus quiſque nobiſcum optaret, ut poſsent admitti. Igitur.

II. Ex ea Illyrici parte, quam Liburniam Vetuſti dixere, *SS. Leonem*, & *Marinum* ad Ariminenſem Oram transfretaſſe, concors eſt Scriptorum aſſertum; ſingularem vero ipſorum Patriam, quaſi intento ad locum digito, monſtrarunt, Petrus de Natalibus, Ferrarius, &c. alii ſcribentes, nedum eos origine Dalmatas, ſed & patria Arbenſes fuiſſe. Eſt autem *Arba*, ſeu *Arbum*, *Rab* a Sclavonibus dicta, ex quinque iis Inſulis una, quas maris Adriatici ſinus quidam inter Dalmatiam, & Hiſtriam medius; olim *Phanaticus*, ſeu *Flanaticus* nuncupatus enumerat, Venetæ Reipublicæ parens imperio, & Epiſcopali Sede donata, quæ Archiepiſcopum Jaderenſem habet Metropolitam. In ea igitur Urbe ortum Viros Dei habuiſſe, & primam ſaltem ætatem inibi tranſegiſſe, quod & in lectionibus officii enunciatur, pro indubitato habent Arbenſes, qui ambos illos nedum ut ſingulares Patronos, verum etiam ut Concives ſuos demiſſiſſime venerantur. A teneris, ut ajunt, unginculis eos Chriſtianæ fuiſſe addictos militiæ, pieque a Chriſtianis parentibus educatos, a primæva quinimo ætate Sanctioris vitæ, intra patrios, & domeſticos lares tyrocinium poſuiſſe, jugi legis Dei, cæleſtiumque rerum contemplatione, diurnis, nocturniſve precibus, aſſiduis jejuniis, terrenorum contemptu, profuſa in pauperes charitate, cæteriſque virtutibus, pari conſenſu ſcribunt omnes; uno excepto Gaudentio Brunaccio, qui in vita S. Gaudentii Ariminenſium Antiſtitis, narrat *Leonem*, & *Marinum* juvenes, & adhuc gentiles Ariminum, eo Epiſcopatum gerente, acceſſiſse, ibique ad Chriſti fidem converſos, per eum ſacris fuiſse undis ablutos.

III. Qua vero occaſione, Patriæ, & Cognatis pii Juvenes, peregre profecturi, nuncium remiſerint, patientes, quæſo, aures memoratis Auctoribus, cauſam

trans-

Digitized by Google

tranſmigrationis eorumdem enarrantibus, accomodemus. Demoſtenes quidam, ut referunt, Liburnorum Rex Mænia, & Arces Ariminenſis Urbis jam dudum everterat, quas inſtaurare, vix Imperio potiti, ſtatuere Diocletianus, & Maximianus, ſua duntaxat crudelitate, famoſi. Hinc mandatum exiit, ut Lapicidæ, aliique conquirerentur Artifices, ad ſolicitus, ſi Superis placuiſset, opus præſtandum; quos inter fuere *Leo*, & *Marinus* excidendorum, dolandorumve lapidum artis periti; ſive imperiali edicto ad opus conducti, ſive potius ſolo Dei ductu, ut alii innuunt, ad eas oras appulſi. Hæc autem anno Chriſti 220. evenere, Petro de Natalibus teſte, ſive potius anno 257, ut Ariminenſis, & Bodecenſis Codices habent; cum noſter Petrus Calò, Oratorii Codex, & Matthæus Valli a quocunque anno ſignando caute abſtinuerint. In ea igitur Urbe aliquandiu Viri Dei conſtitere, ſumma qua pollebant arte, operam ſuam locantes, cæteriſve Chriſtianis Opificibus, ſive conterraneis ſuis, ſive alienigenis, quos ab inhumanis Præfectis ultra vires gravatos, variiſque modis afflictos cernebant, verbis, & opere ſubſidio erant, miniſtrantes eis de propria mercede, & ut patienter ferrent, nec a fide deficerent, pluribus cohortantes. Hæc eadem eximiæ charitatis officia indeſinenter præſtarunt cum ad montium cacumina, una cum aliis artium Magiſtris, Imperiali juſsu, directi, eruendis, incidendiſque marmoribus triennium inſumpſere. Opere tandem reædificandæ Civitatis ad complementum deducto, cum jam non amplius eſset, cur ipſorum ars requiri poſset, ſolitudinis amore, quo ducente e Patria receſserant, ex æquo illecti, *Leo Felicianum* Montem, *Marinus* vero *Titanum* petiere, ut curis omnibus abdicatis, & hominum oculis ſubducti, Deo unice viverent, eoque inſpectore operarentur. Latitarunt equidem uſquedum datus fuit Epiſcopus Ariminenſibus a Romano Pontifice (non Damaſo, ut per-

perperam ſcripſere nonnulli , ſed Julio) S. Gaudentius . Hic Sanctorum Anachoretarum fama undique pervolante permotus , eos per nuncium accerſiit , & contra Arianos invicte decertans , tum in Concilio inibi habito , tum poſtea , ſacris initiatos Commilitones habuit , & Miniſtros. Siſtamus hic paulululm , ne perturbatam adeo tempore , rerumve ſeriem clauſis omnino luminibus , ſurdaque aure videamur præteriiſse.

IV. Concedamus ultro , id contendentibus , Demoſtenem illud Liburnorum Regem , eſto Hiſtoricis ignotum omnibus , cujuſque nomen nunc primum occurrit , reapſe extitiſse ; fateamur etiam Ariminenſem Urbem ab eo dirutam Diocletiani , & Maximiani Cæſarum juſsu fuiſse inſtauratam , licet promulgati de ea reparanda per univerſæ Europæ Provincias Imperialis Edicti , nulla apud veteres mentio ; at id profecto pro ſumma nonniſi rerum inſcitia admitti poteſt , quod hæc præſtita fuerint ſive anno 220, ut Petrus de Natalibus , & Officii lectiones olim habebant , ſive anno 257 , ut in Codicibus memoratis ſignatur . Non anno quidem vigeſimo ſupra ducenteſimum id contingere potuit ; ſi fides ſit Clementinio patriarum rerum perſcrutatori non prorſus indiligenti , & Vincentio Cimarellio ; illi quidem in ſua Ariminenſium , huic vero in Urbinatium hiſtoria , qui Arimini direptionem Liburnorum Rege vaſtatore , ad annum duntaxat referunt 266. poſt Chriſtum natum ; ſic enim fieret , ut præceſſiſset inſtauratio ruinam , & reparandæ Urbis , nonniſi poſt ſex , & quadraginta (aut novem ſaltem annos) per Demoſtenem evertendæ , ii Imperatores legem tuliſsent . Præterea ſignato anno 220. Diocletianus , & Maximianus , nedum Imperio potiti adhuc non fuerant , verum nec in lumbis fortaſse Patrum ſuorum exiſtebant adhuc ; cum nonniſi poſt 25 , aut etiam 30 circiter annorum ſpacium , primam hanc lucem aſpexerint ; Diocletianus nempe anno natus 245 , Maxi-

-ximianus vero 250. Sed nec quidem anno quinquageſimo ſeptimo ſupra ducenteſimum, ut alii ſignarunt, ea contigit Imperatorum juſsu, Arimini reparatio; cui SS. *Leo*, & *Marinus* operam ſuam locarint: quod iterum ex ipſo Imperatorum natali anno evinci poteſt; Maximianus enim anno 257. vix quintum ætatis ſuæ annum compleverat, Diocletianus autem duodennario major non erat. Hinc ſi excitatam ex ruinis ſuis reapſe vellint Ariminenſem Urbem, & id dictorum Imperatorum decreto, fateantur neceſse eſt, id poſt annum duntaxat 284. contigiſse, quo Diocletianus renunciatus fuit a Militibus Imperator, imo poſt annum 286, quo Maximianum Imperii collegam aſcivit. At hoc etiam admiſſo, non inde ſtatim cohærent omnia. Ea duo ſaltem minime cohærere poſſunt, quæ apud Petrum de Natalibus, & in Officii lectionibus habebantur; Sanctum nempe *Marinum* anno 257. diem ſupremum obiiſſe, ſeu anno 255, ut Caſtellanus in ſuo Martyrologio; & Ariminenſi Concilio, quod integro nonniſi evoluto ſæculo, anno ſcilicet 359. habitum fuit, cui S. Gaudentius interfuit, fuiſse ſuperſtitem. Vix inſuper, imo nec vix quidem componi poterit, Sanctos, de quibus ſermo, artem qua pollebant, in inſtauranda Urbe ſub iis Imperatoribus, & quidem ab anno 257. adhibuiſse, & ſuperſtites poſtea S. Gaudentii Ariminenſis Epiſcopi ævo, Concilio inibi coacto interfuiſse, & eo manus imponente ſacris fuiſse ordinibus initiatos. Enormem parachroniſmum prænotavit Ferrarius, exagerarunt, nec ſemel, Bollandini Operis Continuatores, & quidem merito. Cum enim, nedum inter Artifices, verumetiam inter artis Magiſtros SS. *Leo*, & *Marinus* in actibus recenſeantur, profecto non ſolum infantiæ fines, ſed ipſius etiam fortaſse Adoleſcentiæ terminos jam exceſserant. Vigeſimum duntaxat ætatis annum tunc eos attigiſse ponamus; cui ſi biennium ſupra integrum ab Urbis reædificatione ad

Ari-

Ariminenſe uſque Concilium, elapſum ſæculum, jungatur; addanturque præterea dies plurimi, quibus S. Gaudentio contra Arianos prælianti fuere adjutores, & ad cellulas iterum reverſi Deo duntaxat inſpectore aliquandiu etiam vixerunt, jam ſponte conſequeretur illos ad ſæculum pene cum dimidio vitam ſuam protrahxiſse. Scopulum hanc, in quem impegere alii, ut caute in ſno Commentario declinarent Sanmarinenſes Socii Belluzzius, & Manenti, Raphaelis Adimarii ſententiam ſecuti, Diocletiani edictum pro inſtauranda Urbe Ariminenſe protrahxere ad annum circiter 300, & ſub id duntaxat tempus eo acceſſiſse *Marinum*, cum *Laone*, putarunt, qui anno 359. ſæpe memorato Concilio una cum S. Gaudentio interfuere. Non ægre quidem hoc pacto componi res poſsent; at hæc Lapicidarum Virorum ſubita in Sacrorum Miniſtros ordinatio, minime arriſit Ferrario, diſplicuit Antuerpienſibus Vitarum Sanctorum editoribus, nec Eruditis fortaſse probabitur aliis. Vero enim ſimile minus videtur, verbi Dei, & Fidei præcones Conſtantio imperante, Viros ipſos apud Ariminenſes fuiſſe, quos ſub Diocletiano operam ſuam in Urbis reparatione conferre inter Lapicidas, Cæmentarios, alioſque operarios conſpexerant. Improbabile, inquam, cuiquam videbitur, Viros illos, etſi ſanctitatis fama præfulgidos, ultimo pene ſenio confectos, ſacris S. Gaudentium voluiſſe initiatos; & ad prælium, quod contra Arianos inſtituerat commilitones adhibuiſſe. Hinc in eam potius ſententiam deſcendendum putarunt Antuerpienſes Hagiographi, quod duntaxat Epiſcopatum gerente S. Gaudentio, ut ſenſit Brunaccius, Juvenes illi *Marinus*, & *Leo* ad litus Ariminenſe pervenerint, ab eoque ad fidem converſi, tandem *Leo* ad Sacerdotium, *Marinus* ad Diaconatum fuerint promoti, & labente ſæculo quarto ad Cælos evocati. Sane ſolida nulla ex vetuſtis, quæ ipſe evolvit Patriæ ſuæ, monumentis, deducta

De Situ Arimi-nenſi Lib. 1.

ducta ratione, recenſeri eos poſſe Opifices inter, qui Imperatore mandante, ad Urbis reparationem confluxere, teſtatum reliquit Clementinius; nec aliquid, quo id evinci poſſet in antiquis, quos ſæpe adhibuit, Codicibus, reperire licuit citato Brunaccio. Attamen num hæc, quæ quaſi divinando traduntur, ad palatum omnino eſſe poſſint Feretranorum, qui Diis etiam invitis, Patronos ſuos *Leonem*, & *Marinum* Lapicidas fuiſſe, & ad eam, qua pollebant, artem exercendam evocatos contendunt; marmora etiam ab iis excifa, quibus pro lectulo *Marinus* utebatur, oſtentantes; mihi incompertum. Hinc quæ ortum, ætatem, & peregrinationis eorum occaſionem ſpectant, tenebris ſuis involuta perpetuo relinquere cogimur.

V. Qui, cæteris Opificibus Ariminenſem Urbem inſtaurantibus adjutrices manus Sanctos illos porrexiſſe, tradunt, præterea referunt eos quò magis jejuniis, aliiſque corporis afflictationibus frangebantur, eo robuſtiores, ſollicite ad miraculum uſque, fuiſſe operatos, & lectioni, operando etiam (mira profecto res) ac orationi inſiſtentes, Deo diu, noctuque pſalentes omnibus admirationi extitiſſe, & in portentum. *Coemerunt*, inquiunt etiam, *Aſellum quatenus illius adminiculo Fratribus ſuis in portandis lapidibus ſubvenirent;* Verba ſunt Petri de Natalibus, a quo memorati Codices non diſſentiunt, *& deinde ad Montem Titanum accedentes ad ſaxa excidenda, ibidem cum aliis Operariis triennium peregerunt. Attollitur autem Mons Titanus inter confinia Romandiolæ;* ſic opportuniſſime præmonent Belluzzius, & Manenti Nobiles ejuſdem Incolæ: *decem milliaribus ſupra Ariminum, cum horrido altiſſimarum rupium proſpectu verſus Mare Adriaticum. A latere auſtrali, & Occidentali varie extenditur in Campos, Silvas, & Valles, quæ tunc temporis Nemora erant, non aliis Incolis habitata, quam Lupis, Urſis, variiſque Feris.* Hæc ipſi. Mirandi hinc prorſus roboris fuerit Aſellus ille, neceſſe eſt, qui non homines tantum, ſed nec

 qui-

quidem cæmenta, vel lateres, ſed exciſſa ex Fodinis marmora, per altiſſimi Montis abruptos, ac pene non impervios calles, integro potuit triennio, ad decem uſque milliaria, ſuo impoſita dorſo Ariminum deferre. Juſto mærore, ſi res ita ſe habebat, correptus fuit, juſtaque exarſit *Marinus* indignatione, cum cellulam ſuam quadam die repetens, Subjugalem illum ab immani Urſo dilaceratum reperit, ac enecatum. Mira profecto, at æqua res fuit, ut Urſus ille Aſelli capiſtro in pænam ligatus, & per *Marinum* ad ſtabulum ductus, naturalis oblitus omnino ſuæ feritatis, terribilem prius cervicem Pueris ipſis contrectandam ſubmitteret, ac diſcerpti Jumenti onera, quoadusque Vir Dei inter vivos ſtetit ſponte ſubiret. At hæc quaſi ludentes ſcribimus; ſcimus enim totam hanc narratiunculam ad fabulas eſſe, Ferrarii, & Bollandi Continuatorum ſententia, amandandam, quam paucis mutatis, ex Vita ſive S. Maximini Trevirenſis, ſive S. Humberti Maricolenſis, ſuſpicantur translatam. De iis enim Romam proficiſcentibus enarratur ſimiliter, quod cum prioris Aſellum, alterius vero Equum immanis Urſus devoraſſet, ſarcinas, quas illi deferre debuiſſent, portare juſſus fuit Urſus ipſe; nec id, quaſi reatus ſui conſcius, & facti pænitens detrectavit. Num hoc reapſe unquam evenerit, vel quod ſorte ſemel factum fuit, pluribus accomodetur, ſuſpectum habuere mox memorati Antuerpienſes. Nos vero, qui ex ſinceris Sanctorum actibus conſtare novimus, Viros Dei id aliquando precibus obtinuiſſe, ut Belluæ ſilveſtres, eæque ferociores: ipſis ad obſequia eſſent, & ad miniſteria, aures non inviti, hoc de S. *Marino* ſcribentibus adhiberemus, modo vetuſto aliquo, probatoque monumento, aut fide digno teſte aliquo firmarentur; quod certe in præſenti relinquitur deſiderandum.

VI. Non abſimile judicium erit, cum Petrus uterque, de Natalibus nempe, & Calò, aliique vetuſti Codi-

Codices cauſam referunt, ob quam *Marinus* Anachoreticam vitam ducturus ſolitudinem petiit. Integro, ajunt, elapſo triennio, ex quo ad Ariminenſe litus appulſus cum Socio, ſtrenuam in Urbis reparatione navarant operam, ea tandem completa, *Leo* ſecedens illico Felicianum Montem conſcendit, qui ex ejus nomine nunc *S. Leo* dicitur; *Marinus* vero, non per bimeſtre tantum, ut in Ariminenſe Codice legitur, ſed per duodecim, & amplius annorum ſpacium, ut Bodecenſis Codex, & Calocius habent, inibi conſtitit, & *prædicationis officio* (verba ipſorum uſurpamus) *diligenter inſtare cæpit, multiſque Gentilium etiam ex ipſis Idolorum Sacerdotibus ad Chriſtum convertit, & fere tota Urbs credidit Chriſto*. En Lapicida in verbi Dei Præconem eximium, & in primum Ariminenſium Apoſtolum repente converſus. Primum, conſulto diximus; evangelicum enim ejus apud Ariminenſes exercitum miniſterium iis verbis exaggerant, ut ſponte inde fluere videatur, Urbem illam gentilitatis tenebris circumquaque uſquetunc involutam, quin chriſtianæ fidei lux ulla ei cæpiſſet ſplendeſcere, priuſquam *Marinus* prædicatione ſua, Gaudentio, quaſi primo illius Civitatis Epiſcopo, plebem perfectam pararet. At hæc quantum diſtent a vero, teſtes advoco Ariminenſes ipſos, qui ægre nonniſi patientur id in dubium per hæc revocari, quod in maximum Patriæ eorum decus cedit, inter primas nempe Civitates, quæ fidei, S. Apollinare prædicante, adhæſere Ariminum numerari; & binos ſaltem ante Gaudentium, Epiſcopos habuiſſe; unum quidem, cujus nomen latuit Ughellium a Dyoniſio Papa conſecratum circa 259. annum, ut ait Clementinius, alterum vero cui nomen *Stermio* a Marcello Papa I. inauguratum, qui Romano Concilio interfuit anno 313. coacto, ut narrat Baronius. Nec veritati magis accedunt, Haiographorum Antuerpienſium judicio, quæ de S. Viri tranſmigratione ab Arimino ad Montis Ti-

Digitized by Google

tani radices, accepit ex vetuſtis, jam citatis, Codicibus, ſummatimque refert Petrus de Natalibus verbis ſequentibus: *Interea dum antiquus hoſtis eum perturbare a divino opere moliretur*, (prædicationis nempe,) *quamdam Mulierem* (Creſcentiam nomine apud Caloccium) *adeo dementavit, ut effecta inſana de partibus Dalmatiæ Ariminum uſque veniret, Marinum uti virum ſuum legitimum requirendo, quem ut invenit, ipſum importunis precibus* (quæ in manu exarractis Actibus legi poterunt, ni erumpens, ſponte ſua, riſus prohibeat) *ut ſe in Conjugem ſuſciperet flagitavit. Quam ubi Marinus admiratus* (in faciem illius expuens, ait Petrus Calò, & illud Pſalmi pronuncians: *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus*) *deſpexit. Illa inſana Præſidem adiit, Marinum uti Virum ſuum expetiit, & de chriſtianitate accuſavit. Quod cum Vir Dei cognoviſſet* (rem nunciante Chriſtiano quodam Viro, quem mutuato a Caſuiſtis nomine Codices Titium appellant) *ad radices Titani Montis* (in occiduo nempe Montis latere, ubi nunc Pagus *Aquaviva* dictus, prout traditio fert popularis) *nocte latenter aufugit, & ibidem in Antro ſe arctiſſimo collocavit, ubi anno integro manens faciem hominis non vidit, ſolis agreſtibus herbis, & aqua de rupe liquante, poſt nonam quotidie refectus. Tunc Diabolus, ut eum terreret omne Ferarum genus, & diverſa Monſtra ei ululantia prætendebat, ſed Vir Domini fixus in ſancto propoſito perſiſtebat. Poſt annum a Bubulcis greges in monte paſcentibus inventus, & agnitus eſt, ſamaque ejus in Civitatem delata, Mulier illa veſana ad locum acceſſit, & Marinum agreſtia in hortulo ſerentem invenit, ipſumque, ut ſibi adhæreret, inſtanter impetere cæpit; qui ſigno Crucis contra eam edito, oſtium cellulæ in faciem ejus clauſit, & diebus ſex continuis, nullum ſumens cibum, in Oratione perſeveravit. Poſt quos Mulier ab immundo ſpiritu liberata deluſiones diabolicas cognoſcens, veniam petiit, & ad Urbem rediens omnia neſanda quæ commiſerat, a Diabolo deluſa, publice reſeravit; eademque hora* (addit Caloccius) *percuſſa a Diabolo eſt defuncta. Videns poſtea B.*

Mari-

Marinus, quod frequentabatur a multis, recedens inde, venit ad jugum Montis Titani, ibique primo ſub parvo tegmine habitavit. Hæc quæ paucis perſtrinxit Equilinus Epiſcopus de Natalibus, amplioribus verbis exhibentur a Caloccio, ex Codicibus Ariminenſe, & Bodecenſe, quibus Bollandi Continuator Joannes Veldio ſubdit: *caterum videntur mibi præſtigiæ illæ diabolicæ, uti plura alia, in hiſce actibus, poetice eſſe conficta, nimirum ut vita Sancti mirabilior appareret*.

VII. In ſupremo igitur Titani Montis vertice conſtitutus *Marinus*, Anachoreticæ vitæ, quam diuantea, ut præmonuimus, Socius *Leo* in Feliciani Montis jugo profeſſus fuerat, prima veluti poſuit tyrocinia. Par autem, ut referunt, utriuſque fuit ſors, eadem opera, non abſimilis vita. Uterque in prærupti Montis cacumine Cellulam ſibi conſtruxit, ad utrumqne factus eſt populorum concurſus, ambo parvam Eccleſiam, ſeu Oratorium conſtruxere, ad eos tandem, tum S. Leonis in Feliciano Monte excitata Civitas, tum S. Marini in Titano Monte conſtituta Reſpublica, ſua referunt primordia. At incertitudine ea res plena eſt. Unus Clementinius, quem teſtem adhibent, Leontini, at non indubitanter, aſſerit *S. Leonis* hortatu, ſeu opera novæ Civitatis, ejus nomine in poſterum nuncupandæ, prima tunc temporis jacta fuiſſe fundamenta; libentius quinimo in aliorum, quam probabiliorem putat, ſententiam deſcendit, qui ſuſtinent Oppidum aliud non longe poſitum, quod communi modo Provinciæ nomine: *Monsferetrus* dicebatur, tunc fuiſſe inſtauratum. His conſona, quæ alibi diximus, in memoriam revocet Lector. Majus adhuc negocium faceſſit, quod primum Reipublicæ ſuæ *Marinum* Fundatorem vellint Sanmarinenſes. Qua occaſione, quo pacto peractum id fuerit enarrantes, patienti aure auſcultemus. In Montis illius ſupercillio, quod ſibi fecerat Tugoriolo Deo duntaxat teſte latitabat *Marinus*, diurnas,

no-

Digitized by Google

noċturnaſve fundens preces in Ædicula, quam Deo in honorem S. Petri dicaverat. Viſitur hodienum etiam, & pluries vidimus ipſi, prope Eccleſiam illius Caſtri majorem, Oratorium S. Petri, quod tamen recentis omnino ævi opus apparet, vixque aliquid de antiquitate ſua ſervat in præſentiarum quam nomen, & primæ fortaſse ædificationis ſitum, necnon leċtulos in durioribus ſaxis excisſos, quos, ut fert traditio, inter vivos dum degeret, ad quietem *S. Marinus* adhibebat. Accidit ergo die quadam ut Filius nobilis cujusdam mulieris, *Veriſſimus* nomine, prout refert Calò, ſeu potius duo Filii, ut habet Matthæus Valli, aut plures etiam, ut alii tradunt, *Marinum* in hortulo ſuo manibus operantem, inopinato deprehenderint. Erat autem Mulier illa, cui nomen *Feliciſſima*, ſeu ut alii volunt *Felicitas*, Vidua nobilis Ariminenſis, quæ in Prædio ſuo ruſticabatur ad pedes Titani Montis Auſtrum verſus, in parvo Monte, vulgo diċto *Montecchio*, ut ex Scripturis in Archivio ſervatis deduci contendunt; ſive potius in alio non nimis diſſito Caſtro, cujus nec nomen, nec veſtigia ſuperſunt, Matthæi Valli Sammarinenſis Civis, & Reipublicæ ſuæ a ſecretis, teſtimonio. Ad eam ergo Viduam cum Titanus ille Mons feudali jure ſpeċtaret, faċtum eſt ut Filius, aut Filii ejus Idololatræ, deprehenſum *Marinum* heremiticam inibi vitam agentem, ſanguinem ipſius ſitientes, ſagittis impeterent. At ipſe elevatis in Cælum luminibus, Jeſumque Dei Filium, ut ſibi in auxilium foret, enixe deprecans, ferocem continuo Juvenem voce privatum, & membrorum diſsoluta compagine in terram corruentem, ad genua ſua habuit provolutum. Vix rei nuncium acceperat Mater, cum concito gradu perrexit ad Virum Dei, & poſt ipſius deoſculata veſtigia exoravit lachrymis plena, ut Filium incolumitati precibus ſuis reſtitueret, quidquid illi in votis eſset ſponte datura. Tunc nil aliud *Marinus* petiit, præterquam-

quod

Digitized by Google

quod abjectis ſimulachris, Deum verum, vivumque confiterentur, baptiſmum ſuſciperent, ſibique partem illius Montis pro corpuſculi ſui ſepultura concederent: *Non ſolum Montem tibi dabimus tunc Mulier ait* (verba ſunt Petri Calò) *ſed etiam omnia montana confinia, & convalles planiciei tibi, tuiſque Succeſſoribus poſſeſſione perpetua concedemus*. Lętus inde conſurgens *Marinus* percuſſum a Deo Juvenem adiit, & vivificæ crucis ſigno munitum priſtinæ ſanitati reſtituit; ipſumque cum Matre, ac cæteris, vel tresdecim juxta Matthæum Valli, vel quinquaginta tribus ſecundum alios, Familiam componentibus, Chriſtianæ fidei rudimentis imbutum baptiſmate regeneravit. Rei hujuſcemodi vere miraculis plenæ rumor circumquaque diffuſus invaluit adeo, ut tumartim ad Virum Dei confluerent undique populi Chriſti myſteria, & regenerationis lavacrum ab eo percepturi. Moram inibi trahere, ſibique Domicilia in eo Titano Monte componere, plurimi ſtatuerunt, quos non Subditorum, ſed potius Fratrum, Filiorumque loco Sanctus habebat, quibus moriens tandem Montem ipſum in communi poſſidendum reliquit, perpetuamque libertatem vaticinans his verbis promiſit: *Filii relinquo vos liberos utroque homine*. En juxta Sanmarinenſes, parvæ ipſorum Reipublicæ deſignata primordia.

VIII. Furenti Juveni ſubita infirmitate correpti, mox per *Marinum* reſtituta ſanitas, totiuſque Familiæ in Chriſtum converſio, in Ariminenſi, & Oratorii Romani Codicibus, a Ferrario, aliiſque penitus obruitur ſilentio. Attamen de his fides ſit apud Petrum Calò, & de Natalibus, ac Mattheum Valli, ex quibus hæc accepta expoſuimus. At Sanmarinenſis Reipublicæ initia, quod ſpectat, occurrunt plura, quæ nos ad aquas hærere jubent, prohibentque ne in Civium illorum ultro, pronique ſententiam ruamus. Quæ tamen priuſquam Lectorum ſubjiciamus judicio, injucundum haud eis futurum credimus, ſi pauca de ipſa Republica præmit-

mittantur; *quæ vel in tota Orbis terrarum imagine non invenitur, nec quæritur, & ſi cæteris Rebuſpublicis conſeratur, vel minima eſt, vel nulla*. Abſit injuria verbis; ſunt enim Antonii Melagonellæ, Oratoris ipſorum Sanmarinenſium perſonam agentis, ad Chriſtinam Svecorum Reginam Flaminiæ fines ingreſſam.

IX. Juxta eam Italiæ Regionem, quæ Romandiola dicitur, & Pontificio paret imperio, intra fines antiqui Ducatus Urbini, decem circiter milliaribus longe ab Arimino: *Mons aſſurgit, omnium, qui Flaminiam exaſperant editiſſimus* (mox memoratus, ut ait Melagonellus) *cujus verticem nobilitat Arx vetuſtiſſima, quæ omnium fere finitimarum gentium viſus amabili terrore ſatigat. Nam perpetuis voraginum munita periculis, veluti in invidiam ſervientis Italiæ, immixtum pene cælo ſupercillium libertatis oſtentat. A fronte Adriaticum æſtuat mare, inferiora laterum ambiunt læti, cultique Colles, qui pari ſpacio per amænas umbras, & opaca Nemorum in fertiles campos, & florida prata deſinentes Tempe altera intrantibus aperiunt*. Mons ille *Titas*, vel *Titanus* antiquitus vocabatur, minime vero *Acer Mons*, ut perperam ex aliis tranſcripſere Bollandi Continuatores. Quod enim alius fuerit *Mons Titanus*, alius *Acer Mons*, tum auctoritate Anaſtaſii, qui de Pipini, & Caroli Magni Diplomatibus diſſerens, inter unum, & alium media duo loca recenſet, Montem nempe *Lucari*, & *Serram*; tum aliis pluribus evincit Diſſertationis Cronologicæ Italiæ Medii ævi auctor Clariſſimus D. Gaſpar Baretta. In excelſi, ac prærupti montis ſupremo culmine Oppidum conſtructum cernitur, quod nunc *S. Marini* appellatur, parvæ Reipublicæ caput, amplum ſatis, muro circumdatum, publicis nonnullis, privatiſque ædificiis nitens, in cujus infima parte, ab Oppido ipſo tamen ſejuncta, Suburbium extat, quod Artifices incolunt, & Mercatores. Hanc vero Sanmarinenſis Dominii Metropolim Civibus eſse refertam, ut Veneto Ughelliani Operis Editori, aliiſque Alieni-

Oratione 3.

genis

genis ſuaſere, citra aſſentationis crimen fateri non poſſumus, cum compertum nobis fuerit, dum inibi eſſemus, quod facto juſſu Epiſcopi Feretrani; ad quem in ſpiritualibus ſpectat, animarum calculo, vix tercenteſimum numerum excedebant, quibus ſi quingenti etiam Suburbii Incolæ copulentur, circiter octingenti enumerabuntur habitarores. Ditioni præterea hujuſce Reipublicæ, quæ ultra quatuor millia paſſuum, ubi latitudo major, non ſeſe protendit, per octo vero, aut novem in longitudine, quinque ad ſummum millia ſubſunt Virorum, qui ſeptem ſeu Caſtra, ſeu Pagos incolunt, integrum Reipublicæ ſtatum componentes: Caſtra ſunt autem: *Serravalle*, *Faitanus*, *Monſiardinus*, *Florentinus*, Pagi vero *Domagnanus*, *Eccleſia nova*, & *Aquaviva*; quorum quatuor priora Caſtra dono obtinuere Sanmarinenſes ob ſuppetias, quas Eccleſiæ tulerant, contra Sigiſmundum Malateſtam, a Pio Papa II, & id quidem V. Kal. Julii 1463, ut ex Bulla, cujus Apographum dabimus in Appendice; non vero, ut falſo ſcribit Matthæus Valli, 1465, quo anno jam Pius ſecundus e vivis abjerat, implebatque Sedem Petri Paulus Papa II. Prius etiam, anno nempe 1375 ſub die 28. Decembris Carolo IV. imperante, Rempublicam hanc a Gregorio Papa XI. obtinuiſſe Caſtra *Petræ Acutæ*, *Montis Madii*, & *Vallis*, contendit citatus Matthæus; quæ elapſo tempore ei ab Urbini Ducibus erepta fuiſſe ſcribit, a quo, neſcio, edoctus Michael Antonius Braudrand. Illud vero ſomniantium deliriis ſimilimum eſt, quod mox memoratus Valli Sanmarinenſis Civis, & a ſecretis, quaſi ex vetuſtis Autographis in Archivio ſervatis deductum, aſſerit: nempe quod cum anguſtiores eſſent Reipublicæ fines, quamquod multiplicato admodum populo excipiendo apti eſſe poſſent; prætio emit Reſpublica illa a *Polano*, *Bonconte*, *Federico*, & *Arnoldo* Fratribus de Monteferetro Caſtrum unum cui nomen *Penna rubea* mille circiter paſſibus diſtans;

K rem

rem ipſius nomine procurante *Aldobrando Gravagnano*, rogato Inſtrumento ſub die 15. Decembris anni 1100. Pontifice Paſchale II, & Imperante Ottone III. (melius dixiſſet Henrico IV.) manu *Salimbeni de Tornimbenis* Ariminenſis Notarii: Septuaginta exinde elapſis annis (riſum, ſi poteſt, cohibeat Lector) die ſcilicet 6. Decembris anno 1170. Pontificatum agente Alexandro III, & Imperium Federico Æneobardo, Reſpublica eadem, aliud numerata pecunia emit Caſtrum, cui nomen *Caſolus* æque omnino diſtans, emit, inquam, operam adhibente eodem *Aldobrando Gravagnano*, ab iisdem quatuor Fratribus *Polano*, *Bonconte*, *Federico*, & *Arnoldo* Comitibus de Monteferetro, inſtrumentum rogante ipſo eodem *Salimbene de Tornimbenis* Notario, iisdemque, ac in priori, adhibitis Teſtibus. Mirum profecto! quod tot annorum expleto curriculo, omnes ad minus nonagenario majores, & fortaſse Centenarii, ſuperſtites eſsent, omnes inquam tum quatuor Fratres Venditores, tum Procurator *Aldovrandus*, tum Notarius *Salimbeni*, tum Teſtes; & iidem ipſi ad ſimile omnino rogandum Inſtrumentum, poſt annos ſeptuaginta, convenerint. Pudet ſane tam craſsam fabellam ſtudio refellere, quam nemo, puto, libenti gutture ebibet.

X. At quam Vallio hæc, ſimiliave in Patriæ ſuæ commendationem fabulanti, adhibere non poſsumus, non ære fidem præſtabimus dum gubernii formam ex Statuto Reipublicæ, ſic paucis exponit. Priſcis quidem temporibus Populus omnis, Patres nempe cujuscunque conditionis, Familias in Clauſtro, ſeu Veſtibulo Templi, in honorem S. Marini, Deo Sacri conveniebant, ab iiſque, pene quos abſolutum Dominium ſtabat, leges condebantur, dirimebantur diſſidia, publica expediebantur negotia. Aucto nimis poſtmodum Incolarum numero, ut populari, qui ex frequantiori ſæpe multitudine exoriri ſolet, tumultui aditus omnis

præ-

præcluderetur ; ſexaginta duntaxat Virorum, ex Civium, qui plures ſunt, Nobilium cætu, ex Opificibus, & ex Ruſticis ex æquo compactum Conſilium inſtituere, cui ſumma publicarum rerum cura demandata, & ſuprema fuit concredita auctoritas. Ex hoc generali Conſilio, ac integro veluti Reipublicæ corpore bini Magiſtratus eliguntur; alter quidem Virorum duodecim, ad quos appellationis jure plura ſpectant; alter vero duorum tantum, qui *Capitanei* nuncupantur, & capitis ipſius Reipublicæ figuram referunt. Horum autem; licet unus tantum ſit ex Nobilium ordine, alter vero ſemper ex inferiori cætu, & infima etiam quandoque plebe, tamen ſimilis omnino, dum procedunt, habitus, par utriſque poteſtas, æqualis ad eos cunctorum ſubjectio. Principis formam gerens hic Dumviratus menſibns Martii, & Septembris labentibus, hoc pacto inſtituitur. Generali coacto Conſilio duodecim per vota ſecreta eliguntur Viri; ſex quidem ex Civium cætu, & ſex alii ex inferiori ordine, eorumque nomina ita ſcripto mandantur, ut ſingulæ ſchedulæ bina nomina referant; unius nempe Nobilis, & alterius popularis. Proceditur inde, Capitaneis, Conſiliariis, aliiſque præeuntibus ad Majorem Eccleſiam, & ad Aram, in qua corpus S. Marini requieſcit, ſiſtitur; ibique Archipræsbiter elata voce, nomina eorum duodecim, in quos plura eligentium vota conſpirarunt, ex ſex illis ſchedulis recitat, quæ Urnæ cuidam poſtea traduntur. Puer tandem culpæ, ac doli ex ætate neſcius, forte ex Urna ſchedam extrahit, iique duo, quorum nomina ſcripta refert, *Capitanei* pro ſequenti ſemmeſtre electi, populo plaudente, cenſentur. Hæc peragi, dum quadrageſimales conciones inibi haberemus, non abſque animi voluptate, conſpeximus ipſi.

XI. De hac igitur Republica, quam craſſiori Minerva hucuſque delineavimus, id in controverſiam revocatur: num vere *S. Marinum* adhuc ſuperſtitem Aucto-

rem habuerit, & legiferum, qui perpetuam ei vaticinatus fuerit libertatem, impetraverit, ſervaveritque. Suſtinere ſiquidem, Diis invitis, contendunt Sanmarinenſes, tunc prima Reipublicæ jacta per *S. Marinum* fundamenta fuiſſe, cum facto ad Titanum Montem, ubi ipſe degebat, populorum, quos ſanctitatis, & miraculorum ejus opinio trahebat, frequentiori concurſu, optima tradidit conveniendi præcepta, & ad ſuperos evolans tandem, Montem illum, quaſi ex Teſtamento reliquit, perpetua pace, nec unquam violata libertate poſſidendum. Negant vero, pernegantque alii, pluribus, nec contemnendis, ducti momentis, quæ eo duntaxat animo proponemus, ut prudens, & æquus de veritate judicet Lector, minime autem, ut hanc Sanmarinenſibus, quos humaniſſimos ſæpe experti ſumus, gloriam invidere vellimus. Negativum illud quidem, at non leve argumentum, quod primo petunt ex concordi pene omnium ſilentio, qui *S. Marini* vitam, incertis etiam quibuſcunque, & inveriſimilibus licet, coacervatis, conſcripſere. Nec verbum quidem hujuſce ab eo inſtitutæ Reipublicæ apud Ferrarium, Petrum de Natalibus, aut Petrum Calò; veſtigium nullum in Codicibus Ariminenſe, Bodecenſe, aut Oratorii Romani, quibus uſus eſt Joannes Veldio, unus ex Bollandi Continuatoribus; quinimo ſtudium omne *S. Marinum*, & induſtriam adhibuiſſe, ex iis apparet, ut concurrentem ad ſe, repelleret multitudinem, ſeque ab omnium oculis, latitando in ſpeluncis, ſubduceret. Ajunt enim: *Viaens poſtea B. Marinus, quod frequentabatur a multis, recedens inde venit ad jugum Montis Titani*, ibique primo ſub parvo Tegmine *babitavit deinde poſuit terminum inter ſe, & loci illius habitatores, ut non eſſet amplius ad eum concurſus populi, aut Mulierum acceſſus*. Inſuper longo nonniſi evoluto, poſt Sancti illius obitum, annorum curriculo, Montem illum inhabitari cæpiſſe, ex vetuſtiſſima Eugippi Abbatis Lucullanenſis Epiſtola

ad

Digitized by Google

ad Paſchaſium Romanum Diaconum data, cujus meminit Baronius ad annnm 454, & Henricus Caniſius Antiquarum Lectionum Tom. 6, quamve refert Bollandus Tom. 1. Januarii; certo deduci putat ſupra memoratæ Diſſertationis Cronologicæ Auctor. En priora dictæ Epiſtolæ verba: *Ante hoc ferme biennium, Conſulatu ſcilicet Importunii* (alii legunt *Opportunii*, qui Conſulatum geſſit anno Chriſti 509.) *Epiſtola cujusdam Laici nobilis ad quemdam directa Præsbiterum nobis oblata eſt ad legendum, continens Vitam Baſilicii Monachi, qui quondam in Monaſterio Montis, cui vocabulum eſt Titas ſuper Ariminum commoratus, poſt in Lucaniæ regione defunctus eſt, vir & multis, & mihi notiſſimus &c.* Ex hiſce Epiſtolæ anno undecimo ſupra quingenteſimum, ut patet, conſcriptæ apertis verbis: *certo cognoſcimus* (ait ille) *Solitarios degiſſe in hoc Monte, eumdemque Titani nomen retuliſſe*. Cum ergo Epiſtolæ Scriptor Eugippius, qui vitam ſuam cum morte commutavit anno 578, expreſſe dicat Baſiliſcum olim in Titano Monte Anachoreticam vitam ducentem ſibi peroptime innotuiſſe, fit inde, ut, Baſiliſcus ipſe vel ineunte ſexto, vel ſaltem expirante quinto ſæculo mortalitatem exuerit. Si igitur valet Clariſſimi Diſſertatoris illatio, illud præterea deducitur, integro circiter a *S. Marini* obitu elapſo ſæculo, Montem illum nondum ab Incolis ſeu Reipublicæ, ſeu Communitatis formam referentibus fuiſſe occupatum, ſed ſolitariis potius Viris heremiticam vitam agere cupientibus relictum adhuc. Accedit poſtremo, quod inſtantium Sanmarinenſium, ut officium proprium S. Marini, prænarrata exhibens, & ea propter ab anno 1600. ſuſpenſum, a S. Rituum Congregatione approbatum tandem, recitari permitteretur, preces in irritum ceſſere; imo orationes aliæ, ſimili de cauſa ſub die 14. Aprilis 1742. fuere proſcriptæ.

XII. Quod ſi gratis etiam admiſſum vellint, Reipublicæ illius qualiacumque primordia *S. Marini* ævo eſſe alli-

alligandа, non inde tamen conſiſtet perpetuæ, quam jactat Vallius, & alii libertatis facta promiſſio, quamve ſuboſcuris, & inelegantibus iis verbis exſcribendam Veneto Ughellii editori communicarunt: *Filii relinquo voš liberos utroque homine*. Profecto aut plura, eaque Eruditis Viris probata, abjicienda erunt monumenta, aut ægre nonniſi ſuſtineri poterit, vel a primo Reipublicæ ortu ad hæc uſque tempora, ut Vallius contendit, vel ab anno 600, ſaltem, ut ſcribit Braudandus, vel brevi duntaxat excepto tempore, quo Marinianum Caſtrum Carpinei, & Ariminenſes obtinuere, ut habet Clementinius, intactam libertatem Sanmarinenſibus fuiſse ſervatam. Non hinc tamen putent, nos Clementinii ipſius ſententiæ adhærere, qui putat illuſtrem, quæ paucis admodum ab hinc annis defecit, Carpineam Gentem Oppidi *S. Marini* dominium aliquandiu obtinuiſse. Non enim nos latet, ipſum, alioſque perpaucos, at infirmæ nimium auctoritatis, & recentioris ævi Scriptores, in eam abiiſse ſententiam ductu cujuſdam Diplomatis, per Ottonem I. Imperatorem anno 962. in favorem eorumdem Carpineorum ſignati, cujus Autographum apud Marchionem Æmilium de Cavaleriis Scaulini Dominum cuſtodiebatur, cum eſset ipſe Ulderici Carpinei ex Sorore Nepos. En pauca, pluribus omiſſis, ex ipſo Diplomate: *Quoniam pio ſemper aſſenſu ..... conſiderantes circumſpectam fidem, & ſinceram dilectionem Illuſtris Comitis Ulderici de generoſa Carpineorum Familia, & grata ſervitia, quæ Eccleſiæ Romanæ, & Sacro Imperio in profligandis, atque fugandis Saracenis, & Græcis de ultimis Italiæ partibus, cum omnibus ſuis viribus, laudabiliter exhibuit ..... Eidem Uldarico, & omnibus ejus Succeſſoribus confirmamus dominium nobilis oppidi Carpinei, & Caſtri Petræ Rubeæ, & concedimus, & in perpetuum donamus ſibi, ac ejus Succeſſoribus omnia Oppida, & Caſtra ſita in Regione Flaminea Senona, quæ ſunt .... & inter ſluvios Concham, & Marecchiam, Serravallum, Veruccbium, S. Marinus, & demum Montiſſe-*

retra.

retrani, *Mons Madius*, *Macerata*, *Petracuta*, *Tornanum*, *Scaulinum*, *Vetus ſoana*, *Pinnebillorum*, & *Majolum*, *cum omnibus diſtrictibus*, & *Vaſſallis &c.* *Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis CXLXII. Indic. V. regnante D. Ottone I. Rom. Imperatore glorioſo Regni*, & *Imperii ſui anno XXVI. Datum apud Viterbium 16. Kal. Septembris*. *Ego Cancellarius Witſridus Archiepiſcopus Colonienſis*, & *totius Italiæ Archicancellarius recognovi &c.* Hæc tranſcripſiſse ſufficiat, ex quibus facile Eruditus quiſque percipiat, ſuppoſititium fætum illud eſse, & poſterioris ævi figmentum, nil conſequenter ex eo haberi poſse, quo Sanmarinenſium lædatur libertas.

XIII. At ne longius, quam par ſit, videamur abire; nonnulla ex plurimis, quæ ſuſpicionem ingerunt, indigitabimus tantum. Regni Ottonis in eo Diplomate ſignatur annus 26; at Chriſti annus 962, quo datum dicitur, Imperii ſui erat primus, Regni vero a die 2. Julii erat 27. Imperiali corona redimitus Otto, Diplomata ſua, præſertim, quæ in Italia exiſtens dabat, ſignare etiam Imperii ſui anno conſuevit, qui in præſenti deſideratur. Implicabitur vero magis, magiſque, non nodus exſolvetur, ſi Ottonem, dicas, Imperii ſui annum, Regni annis junxiſse, quod in conſimili Diplomate die 13. Februarii ejusdem anni, in favorem Romanæ Eccleſiæ, ſignato eum præſtitiſſe obſervat Cl. Pater Antonius Pagi; ſiquidem notandus eo caſu fuiſſet annus potius 28, ut Imperii ſui annus unus, vigeſimo ſeptimo Regni a die 2. Julii, ut iterum dicam, incoacto annecteretur. Datum inſuper dicitur apud Viterbium; at ſi Hiſtoricos conſulas, qui Ottonis itinera, reſque geſtas optima fide ſuo in ordine collocarunt, nullo negocio deprehendes Ottonem 16. Kal. Septembris apud Viterbium non conſtitiſſe. Recenſentur plura inter Montisferetri loca *Pinnabillorum*, & *Macerata*; quæ ſatis evincunt Pſeudottonianam eam paginam ſæculi duntaxat duodecimi, vel quartideci-

decimi, etiam fætum eſſe ſuppoſititium; exiſte: bat enim adhuc ſæculo ineunte duodecimo antiquum *Petinum*, ut patet ex Bulla Honorii Papæ II. ad Petrum Feretranum data anno 1125, ex cujus poſtea ruinis *Macerata Feltria* conſtructa fuit; & ſæculo nonniſi quartodecimo *Pinnabillorum* nuncupari cæpit; Caſtris duobus *Pinnæ* ſcilicet, & *Billi*, quæ duo communia antiquitus erant, in unum tunc primo coaleſcentibus; ut ex monumentis anni 1294, & 1361. videre eſt apud Calvium in Appendice. Plurima inſuper ea loca ipſa, quorum ſingularis in eo Diplomate habetur mentio, aut Flaminiam, aut Pentapolim, aut alias Italiæ, regiones ſpectabant, quarum Dominium cum omnibus Oppidis, Caſtris, Territoriis, Patrimoniis, Cenſibus, Penſionibus ad eas pertinentibus penes erat Romanam Eccleſiam, ex dono tum Pipini Regis, tum Caroli Magni; quod nedum ratum habuit, verum, & ampliſſimo mox memorato Diplomate die 13. Februarii 962. dato, confirmavit ipſe Otto, vix ab Joanne Papa XII. Imperiali corona donatus, quaſi grati ſui animi monumentum. Profecto, ni ad quiſquilias amandatum hoc vellint, cujus Autographum aureis litteris exarractum in Caſtello S. Angeli, Baronio teſte, cuſtoditur, quodque pro virili Baronius ipſe, Pagius, aliique vindicarunt; percipi nequaquam poterit, qua fide Otto Imperator Civitates ipſas, Oppida, Caſtra, quorum Dominium Romano Pontifici paulo prius confirmaverat, paucis, ut ita dicam, elapſis diebus, a die 13. Februarii, ad 17. Auguſti intermediis, poſſidenda pleno jure Carpineis tradiderit. Maximum illud poſtremo falſitatis indicium, quod ex ea Cancellarii *Wilfridi* Archiepiſcopi Colonienſis, & totius Italiæ Archicancellarii ſubſcriptione, depromitur. Perperam, in primis, Archicancellarius quaſi unus, & idem cum Cancellario confunditur; cum revera Cancellarius vices nonniſi gereret Archicancellarii; & eo vel longe

ge agente, vel ſaltem mandante, acta firmaret. Sexcenta, quibus hoc evincatur, in Codicibus Diplomaticis occurrent exempla. Bini inſuper Archicancellarii tunc temporis Imperatoribus aderant, Italiæ unus, Imperii alter; neuter vero dicto anno 962. *Witfridus* erat. Extiterat quidem Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus *Witfridus* nomine; at hic jam novennio ante e vivis receſſerat, anno ſcilicet 953, ejuſque Inſulas ſtatim induerat Bruno, Ottonis ipſius Regis Frater. Teſtes rei ſunt Continuator Reginonis ad annum 953. dicens: *Witfridus Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus obiit, cui Bruno Frater Regis Ottonis ſuccedit*, Sigebertus, Auctor Cronici Belgici, & Ugo Abbas in Cronico per Labbeum edito. Imperialis etiam Archicancellarii munus ab ipſo geſtum, ex quodam Diplomate evincitur Forlivii dato die 13. Martii anni ejusdem, de quo diſſerimus 962, in favorem Humberti Parmenſis Epiſcopi, quod ſubſcripſit: *Wilerius Cancellarius ad vicem Brunonis Archiepiſcopi, & Archicancellarii.* Monendum obiter, quod cum nondum Italiæ Archicancellarius per Ottonem fuiſſet deſignatus, pro ea vice, Archicancellarii Imperialis adhibuit operam. Sed nec quidem Italiæ, ut fert ſubſcriptio illa, Archicancellarius erat *Witfridus*, ſed *Vido* potius, iſque fortaſſe Mutinenſis Epiſcopus Ottoni, & Adelaidæ Uxori in primis carus. Plura præſto ſunt Diplomata, quibus hoc evincamus. Bina ſtatim proferam ejusdem Imperatoris, & Regis eo ipſo, de quo loquimur 962 anno ſignata; & unum quidem paucis duntaxat diebus ante, alterum vero poſt vix elapſum menſem ab ampla, quam aſſerunt Carpineis factam, donatione. Inſulam S. Julii Epiſcopo Novarrienſi concedit ſub die 29. Julii, & in Calce Diplomatis legitur: *Liutulphus Cancellarius ad vicem Vidonis Archicancellarii, & Epiſcopi*. Alteri pariter die 23. Septembris dato ſe ſubſcribit: *Autberus Cancellarius ad vicem Vidonis Epiſcopi, & Archicancellarii*. Tertium etiam exhibere poſ-

ſem ſequentis anni 963. in favorem ipſius *Vidonis*, cui ſubſcripſit: *Linegorius ad vicem Vidonis &c.* idipſum quinimo ſingulis evinci poſſet Ottonianis Diplomatibus ab anno 962. uſque ad annuum 969, quo vita functo *Vidone*, Archicancellarii munus pro Italia *Humberto* Parmenſi Epiſcopo fuit demandatum.

XIV. Hoc firmiori ſemel radicitus eruto fundamento, cui unice fidunt Clementinius, & alii aſſerentes *S. Marini*, & alia plurima Caſtra ſub Carpineorum poteſtate aliquandiu ſtetiſſe, tota ſimul corruit ſuperſtructa opinatio, ſtatque ſua Sanmarinenſibus perpetua a Carpinea Gente intacta libertas. Utinam pari modo eam vindicare, ab Epiſcopi Feretrani, vel potius a Pontificis Romani ſuprema poteſtate, poſſemus. Id quidem præſtare libenti animo parati eſſemus, ſi fieri poſſet citra veritatis diſpendium; at plurima ſtatim occurrunt, quæ ab omnimodæ, perpetuæque libertatis Aſſertoribus ſolutionem expectant. Et quidem, ſi ſurda etiam aure præterire vellimus tum Sanſovinum dicentem *Galeottum Malateſtam* olim *S. Marini* Caſtrum vi obtinuiſſe; tum alios, quaſi ex Majorum traditione acceptum, referentes Oppidum ipſum a *Valentino Borgia* fuiſſe aliquando uſurpatum; inobſervata ſaltem omitti nequeunt Pipini Regis anno 755, Caroli Magni 774, nec non Ottonis 962, quæ mox memoravimus data Diplomata, in quibus plurimas inter Civitates, Oppida, Caſtra ab Eccleſiæ obedientia vi Longobardorum ſubducta, reſtituta vero per pios Reges, & iterato Romanæ Eccleſiæ conceſſa: *S. Marini Caſtellum* enumeratur. Hæc ſaltem ab octavo, ad decimum uſque Eccleſiæ ſæculum, loci illius Dominium, penes Romanam Eccleſiam ſtetiſse, probare nemo non videt. Pontificum poſtea ipſorum, ut credimus, beneficentia, poſseſſionem Caſtri illius obtinuere, ſervaruntque ultra duorum ſæculorum ſpacium Præſules Feretrani; quod ex Apoſtolicis litteris conſtat, quarum meminimus alibi;

bi; tum Honorii Papæ Secundi, ad Petrum Feretranum 1125, tum Joannis XXII. ad Romandiolæ Rectorem 1318, & 1321, datis. Prior quidem ratam habet, confirmatque Epiſcopo illi plurium locorum poſſeſſionem, recenſetque ea inter: *Plebem S. Marini cum Caſtello, & pertinentiis ſuis omnibus*; alter vero Legato ſuo in Romandiola, diſtricte præcipit Brevi 1318. Avinione dato, ut Federicum Feltrium reſtituere quoquo modo compellat *S. Marini* Caſtrum, quod Epiſcopo ſubripuerat; ſecundo vero die 22. Novembris 1321. expedito, facultatem ipſi Epiſcopo facit, ut Caſtrum illud, cui defenſando contra ſeu Rebelles, ſeu Invaſores, viribus impar erat, Ariminenſibus venderet; quod actum reapſe fuiſse evoluto biennio, conſtat ex Inſtrumento ſub die 10. Ianuarii 1323. rogato, & per extenſum, ſi lubeat, apud Clementinium legendo. Brevi attamen tempore, apud Ariminenſes ſtetiſse, ſcribit ille, & inferri poſse videtur, ex alibi memorata totius Eccleſiaſtici Status deſcriptione juſsu Gregorii XI. per Cardinalem Anglicum anno 1371. exacte confecta. Recenſens enim ſingillatim ea Vicariatus Montisferetri loca in Provincia Romandiolæ, quæ Pontificium ſentiebant imperium, habet: *Caſtrum S. Marini poſitum ..... Homines dicti S. Marini obediunt Vicariatui Montisferetri, & reſpondent, & veniunt ad Parlamentum ad mandatum Poteſtatis, & ſolvunt Tallias, & Frumentarias &c.* His ad Lectorum memoriam revocatis, quibus ſparſim, data occaſione, ſupra uſi ſumus, alia jungenda ſuperſunt, quæ Romanos Pontifices ſupremam in eo Caſtro poteſtatem exercuiſse ad ſæculum uſque ſextumdecimum meridiana luce clarius oſtendunt. Pauca duntaxat, brevitatis ergo, delibare liceat, ex quibusdam Apoſtolicis litteris, quarum Apographum, ex eorumdem Pobtificium Regeſtis, habitum, ſervamus, & dabimus in Appendice.

Loco alibi citato; ſcilicet lib. 6. pag. 9.

XV. Occurrunt primo bina Bonifacii Papæ IX. Brevia,

L 2

via, Benedictum Feretranum Epiſcopum inſtituentis Caſtri *S. Marini* Rectorem, utraque 3. Non. Maii 1398. expedita, quorum unum ad ipſum Epiſcopum datum ſic habet: *Cum itaque ſicut accepimus, inter nonnullos habitatores Caſtri S. Marini Provinciæ noſtræ Romandiolæ tuæ Diæceſis, ad nos, & Romanam Eccleſiam pleno jure pertinentiis nonnullæ diſſentiones, & diſcordiæ, humanæ naturæ inimico procurante exortæ ſint; nos cupientes ..... Caſtrum ipſum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis tuo regimini duximus auctoritate præſentium in ſpiritualibus, & temporalibus committendum ..... Contradictores quoslibet, & rebelles, & quoſcunque ſtatum pacificum ipſius terræ, & hujuſcemodi tibi commiſſum officium perturbantes, & impedientes, & alios quomodolibet delinquentes, quoties expedierit ſpirituali, & temporali diſtrictione, qua convenit, appellatione poſtpoſita compeſcendi &c.* Ad Sanmarinenſes vero die eadem ſic ſcribit: *Cum nos Vene. Fr. noſtrum Benedictum Epiſcopum Feretranum in Rectorem noſtrum, & Caſtri noſtri S. Marini per alias noſtras litteras, uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ duximus deputandum, volumus, & vobis per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eumdem Epiſcopum Rectorem noſtrum devote recipientes, & honorifice tractantes, eidem tanquam Rectori noſtro plene in omnibus, quæ ad hujuſmodi Rectoriæ ſpectant officium intendere, & efficaciter obedire curetis; alioquin proceſſus, & ſententias, ſive pœnas, quos, & quas ipſe Epiſcopus fecerit, tulerit, ſive ſtatuerit in Rebelles, ratos, & gratos habebimus, & eos faciemus auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.* Aliæ exhiberi poſsent Apoſtolicæ litteræ ſive Martini Papæ V. Sexto Idus Maii 1426, ſive Alexandri Papæ VI. die 5. Januarii 1497. datæ; quibus, prior quidem privilegium appellationis ad duos probos electos Viros Sanmarinenſibus auctoritate apoſtolica, ad ipſorum votum, & petitionem concedit; alter vero Ceſenæ Gubernatorem, & Romandiolæ pro Sede Apoſtolica Rectorem, ut diſſidentes, cum Veruculi Habitatoribus confinium cauſa, Sanma-

marinenſes componat; Judicem deſignat, conſtituitque: *cum poteſtate cogendi, & compellendi utramque partem*. At ab his, aliisque exhibendis duximus abſtinendum, quæ ex ipſorum Pontificum Regeſtis peti poterunt; ex quibus, fida manu exarrata exemplaria obtinuimus exhibenda in Appendice. Nunc quo pacto poſſint hæc, quæ, vetuſtioribus, recentioribuſque etiam aliis conſulto omiſſis, dedimus monumenta cum perpetua, abſolutaque libertate componi, doceant nos illi, qui tanquam pro Aris, & Focis eam propugnarunt; doceat nos præſertim Matthæus Valli, qui Rempublicam ſuam omnium antiquiſſimam, Dei potius, quam hominum opera primum inſtituta, & a ſuprema cujuſcunque poteſtate uſquenum S. Marini vaticinio, promiſſione, ope ſolutam contendit. Nos interim ultro fatentes, illam, Principum indulgentia, diu fuiſse, & nunc iterum eſſe proprio juri relictam, & in poſterum, quod optamus, relinquendam; Felicianum, & Titanum Montes, unde ſermone diſceſſimus, SS. *Leonis*, & *Marini* inibi latitantium, poſtrema geſta perſcrutaturi, repetamus.

XVI. Qui Viros hoſce Sanctos, contendunt, non Epiſcopatum jam gerente Gaudentio, ſed longe ante ad Ariminenſe litus appulſos, poſt in Urbis reædificatione locatam operam, Montes illos petiiſse heremiticam vitam ducturos, narrare pergunt: quod vix primum commiſsæ Diæceſeos limen ingreſsus fuerat Sanctus Antiſtes, cum ei SS. Anachoretarum ſanctimonia, & quæ per eos in dies edebantur miracula innotuere. Quapropter eos incunctanter accerſiit, & poſt dies aliquot ſacris initiavit; S. *Leonem* Sacerdotem conſecrans, Sanctum vero *Marinum* in Diaconatus gradu conſtituens; ſive ut ad prædicandum pergerent, & ad baptizandas gentes, ut Oratorii Codex, & Petrus Caloccius, ſive ut ſibi contra Arianos prælianti in adjutorium forent, ut habent lectiones officii. At convenientia profecto teſtimonia non ſunt. Accepta manuum

im-

impoſitione ab Ariminenſe Præſule Gaudentio, eos nulla mora, ad ſolitarias Cellulas rediiſse, in citato Codice, & apud Petrum Calò expreſse legimus, nec obſcure apud Petrum de Natalibns indicatum; e contra vero per annos plures Arimini conſtitiſse, ſcribit Ferrarius, & eos S. Gaudentium indefeſsos contra Hæreticos auxiliatores habuiſse, legitur in officio. Itineris quinimo ſocios Gaudentio fuiſse, dum Arianis prævalentibus, ad Pagum *Catholica* dictum, milliaribus quindecim, ab ea Urbe diſtantem, receſſit, ſcribunt Brunaccius, Belluzzius, & Manenti in Commentario; contendit vero Ferrarius, quod Præſuli, alibi ſeſe recipienti valedicentes, priſtinam ſolitudinem reſalutarunt. Citius tamen, aut tardius evenerit, id unum apud omnes eſt in confeſso *Leonem* Montem ſuum Felicianum, *Marinum* vero Titanum tandem aliquando rehabitaſse, ibique meritis cumulatos, & plenos diebus in Domino obdormiſſe.

XVII. At nec dormitionis quidem, & ſepulturæ locum, quod ſpectat, una eſt omnium ſententia; in eam enim Ferrarius, quo ductu neſcimus, opinionem abiit; quod *S. Leo* apud *Vicobabentiam*, ſeu *Viguentiam*, ut vocant, clarus meritis, & miraculis Kal. Auguſti ad Chriſtum migraverit, ibique fuerit honorifice conditus. Diſplicet vero aliis communiter ſingularis hæc Ferrarii opinatio; ſuſtinentque omni dubitatione abdicata, quod *S. Leo in ſolitudine Feliciani Montis, ſenſibus auſteritate vitæ compreſſis, ac Principe tenebrarum eluſo ad Superos evolavit* (verba ſunt Bernardini Scala Epiſcopi Feretrani ad Papebrochium ſub die 1. Novembris ſcribentis,) *& ſacrum illius corpus, magna populorum frequentia, & veneratione in eodem loco ſepultum eſt, ibique reconditum extitit ſeptem volventibus ſæculis*. His conſonant Officii lectiones, quibus in *S. Leonis* feſto, uti Feretrana ſolet Eccleſia. Et vèro ſimilimum profecto videtur, Virum Dei ubi longævam vitam ſuam duxerat, ibi cum morte

te eam commutaſſe; nec opinandi ulla ſuppetit ratio, quod morti proximus, ſolitudini nuncium remiſerit, ut ad aliena migraret. Sacri vero ejusdem corporis, poſt annos plurimos, translationem ſic narrare pergit, memoratus Antiſtes: *Henricus I. Imperator, vel ſecundum alios, Henricus II, Italiam pergens, & eumdem Montem pertranſiens, Sacrum corpus adhuc integrum, & palpabile ſecum reverenter exportavit. Viguentiam Ferrarienſis Diœceſis olim Civitatem perventus, ſacra illa reliquia, ceu Turris immobilis, & animalium, & hominum vires penitus irritas reddidit mirabiliter. Quare Imperator ſingulari affectus dolore talia verba protulit: Ego quidem volebam honorifice te exaltare in Terra mea, & habere Socium in comitatu meo, & tu magis elegiſti in iſtis paluſtribus locis habitare. In hoc credimus ſicut, & in cæteris operibus, nullam omnino rem eſſe bonam, niſi quod divina gratia concedente operatur, nec poſſe pergere Sancta corpora niſi ad loca deſtinata. Hæc combinet, qui poteſt:* ait Bollandi Continuator Sollerius, qui translationem, pro qua antiqua ſtat, & communis traditio, non negat; at translationis ipſius circumſtantias, de quibus ne veſtigium quidem in S. Henrici Imperatoris Hiſtoria, verretur admittere; imo Præſulis Scalæ ſimplicitatem in adhibenda his narratiunculis fide, aut tacite irridet, aut aperte miratur. Eamdem Sacri Corporis translationem, non quidem a Nonnantulano Cænobio, in quo per Anſelmum Aſtulphi Longobardorum Regis Fratrem, & ejusdem Monaſterii Abbatem ſæculo VIII fuiſſe reconditum, perperam aſſeruere nonnulli, ſed directe a Monteferetro ad Vicohabentiam ſæculo exoriente XI, nuper evincere conatus eſt Innocentius Maraninus in vita S. Leonis, ex Inſcriptione Viguentiæ in ſuperliminari Eccleſiæ adhuc exiſtente, quæ ſic habet: *Henricus II. Imperator. Corpus S. Lei de Monteſeretro, alias Feliciano in Germaniam deſerre cupiens, cum ad hunc locum perveniſſet, dimiſit. Divinitus enim factum eſt, ut Arca Marmorea, in qua adhuc conditum eſt, nec hominum, nec*

Ju-

Jumentorum vi unquam dimoveri potuiſſet. *MXVI.* Sæculo ſaltem expirante Sextodecimo, imo & decimo ſeptimo ineunte Corpus illud, apud Vicohabentiam conſtitiſſe, ſuſtinuit Joannes Epiſcopus Ferrarienſis Epiſtola ſua paſtorali, die data 12. Julii 1599, cujus Autographum Pinnæ ſervatur, ſenſit & Conſalvus Durantes Feretranus Præſul, qui ejuſdem Sancti Tibiam anno 1609 ab eodem Joanne impetravit, pro certo tandem habuit mox memoratus Epiſcopus Scala, qui vertentem ea de re Ferrarienſes inter, & Viguentiæ Incolas controverſiam dirimere nititur in ſupra citata Epiſtola; mordicuſque contendit S. Leonis Feretrani corpus adhuc in Parochiali Viguentiæ Eccleſia ſervari; illud vero in Eccleſia S. Stephani Ferrariæ cuſtoditum, alterius eſse S. Leonis, & quidem Pontificis; qua dignitate nunquam donatum fuiſſe Feretranorum Patronum *Leonem*, & nos ſupra oſtendimus. At litis hujuſce, inter eos adhuc pendentis, nos, qui res duntaxat Feretranas proſequimur, Judices ſedere nolumus. Unum ſolummodo ex mox adhibitis monumentis monendum duximus, Sancti hujus nomen, ita ab aliquibus uſurpari, ut non *Leo* dicatur, *Leonis*, *Leonem*; ſed *Leus*, *Lei*, *Leum*. Sane: *Corpus S. Lei* habet Viguentina inſcriptio; *Partem Tibiæ S. Lei* legitur in Inſtrumento, quo inſignis ea reliquia, enixe poſcentibus Feretranis a Ferrarienſi Epiſcopo, conceſſa fuit; *Lei* pariter non *Leonis* paſſim nomen adhibet Bollandi Continuator Sollerius: *San Leo*, non autem *San Leone* communiter dicunt Feretrani populi, Italique Scriptores, habentes: *Cathedrale di S. Leo*, *Fortezza di S. Leo*, minime vero, aut raro omnino: *di S. Leone*. At hæc non adeo momentoſa res eſt, ut plus in ea elucidanda temporis impendi debeat, & operis.

XVII. Socio ſuo *Leone* jam ad Superos evolato, ſuperſtitem diu fuiſſe *Marinum*, jam ſponte conſequetur, ſi ea conferantur, quæ ex actibus eorum habentur.

Vix

Vix ſedatis, aut ne ſedatis quidem adhuc Conciliabuli Ariminenſis tumultibus, ambo priſtinam ſolitudinem petiere, & dum redirent, ajunt, Petrus de Natalibus, & Caloccius *Marinus* immanem Urſum, ut prænarravimus, in hortulo ſuo reperit, metum atroci viſu incutientem, & cruento dente Aſellum ſuum dilacerantem. *Tranſactis vero pluribus diebus* ſic in Codice Oratorii Romani legitur) *B. Leo eximius Chriſti Confeſſor de præſentis ſæculis ærumnis liberatus, & Principe Mundi devicto ad deſiderata cæleſtis regni gaudia triumphator migravit*. Marinus vero Urſi miniſteria Aſelli ſubeuntis annis ſeptem, juxta Bodecenſem Codicem, uſus eſt opera. Hinc illud deducendum videretur, integro nonniſi ab obitu *S. Leonis* evoluto ſeptennio, circa nempe annum 366 curſum vitæ ſuæ *Marinum* conſumaſſe. At cum ſus, deque in iis actibus tempora, reſve, omnia denique miſceantur, improbabilia, falſa, contradictoria quæque adoptentur; proinde Bollandiani operis Continuatores mortis ejusdem tempus cum amplitudine, circa finem ſæculi quarti ſignandum putarunt. Emortualis quoque dies *S. Marini* in dubium vertitur; nam pridie Nonas Septembris eum in pace quieviſſe, ſcribit Petrus de Natalibus, ac Martyrologium Romanum; tertio vero Nonas Septembris, habent Ferrarius, Caloccius, Codices Ariminenſis, & Bodecenſis, quibus conſonat Feretrana, Ariminenſis, & aliæ Eccleſiæ, die tertia Septembris, ejusdem officium celebrantes. Duo ſaltem extra contentionis terminos reponi debent; quorum primum Franciſcus de Aſte Archiepiſcopus Hydruntinus, Martyrologium Romanum corrigens, prænotavit: Sanctum nempe *Marinum* non Arimini, ſed in Monte Titano mortem opetiiſſe, & vel in Cellula ſua, ut habet Æquilinus Epiſcopus, vel in Eccleſia, quam ipſe conſtruxerat; ut Petrus Calò, terræ mandatum. Secundum vero; quod SS. *Leo*, & *Marinus* non martyrii laurea donati, ſed in pace quievere; falſo

M proin-

proinde eorum Acta apud Mombritium, & Calocciuma hunc titulum præferunt: *Paſſio Sanctorum Leonis, & Marini Martyrum.*

XIX. Facili fortaſſe negotio illud pariter componi poſſet, quod Sanmarinenſes inter, & Papienſes diſſidium viget; dum ſacras apud ſe *B. Marini* exuvias utraque Gens ſuſtinet aſservari. Jacobus Gualla Sanctuarii Papiæ lib. 5., nec non Bernardus Saccus Hiſtoriæ Ticinenſis lib. 10, aliique referunt: Aiſtulphum Longobardorum Regem, non anno quidem 258, ut enormi anachroniſmo ſignavit Gualla, ſed circa potius ſæculi octavi dimidium, Ravenna occupata, pluribuſque aliis Exarchatus, & Pentapolis ſubactis Urbibus, Titanum Montem conſcendiſſe, indeque ſublatum *B. Marini* corpus Ticini in ſacra, propriis expenſis conſtructa Æde, repoſuiſſe. Sacri, ex oppoſito, nunquam ſublati pignoris poſſeſſionem, ſibi vindicat Sanmarinenſium Reſpublica: *Remanſit, eidem Reipublicæ* (ſic, ex communi Concivium ſuorum ſententia, ſcripſere Bellucius, & Manenti in Commentario) *integra hæreditas pretioſarum ejus exuviarum, quas veluti pignus protectionis, illa conſervat..... Caput exponitur venerationi quotannis ..... reſiduum jacet Oſſium incluſum Urnæ marmoreæ, cui inſcriptum hoc diſtichon: Clauſa ab antiquis, nobis aperta Marini, ſancta manent membra, nobis cunctis recolenda.* Sacrum attamen aliquandiu latuiſſe Theſaurum, conſtat ex ſolemni Inſtrumento, quo rem teſtatam voluit die 7. Novembris 1628. Magiſtratus Sanmarinenſis; in eo ſiquidem, cujus exemplar Bollandiſtæ referunt, habetur: quod Marinus Bonetus S. Marini Archipræsbiter, conſilio habito, & facta ſibi ab Epiſcopo Feretrano Joanne Franciſco Sormano, facultate, die Inventioni S. Crucis, dicata, anni 1586, diruta majoris Altaris extrema parte, Urnam reperit lapideam, in qua erat corpus *B. Marini*, cum ſupradicta inſcriptione. Urnam eamdem ſuper Altare ex tunc collocatam, iterum reſeravit anno 1713. Epiſco-

ſcopus Martorellus, ex eaque in elegantiorem aliam recens conſtructam Urnam ſacra Oſſa tranſtulit, hac intus poſita manuſcripta memoria: *Oſſa D. Marini Conf. bujus Reipublicæ Aſſertoris, quæ multis ab hinc ſæculis repoſita lapidea in Arca aſſervabantur, Illuſtr., ac Reverendiſ. Petrus Valerius Martorellus Patricius Auximanus Epiſcopus Feretranus, in hanc Urnam marmoream intus Altare hoc recens, & elegantius extructum ſolemni pompa, ac ritu tranſtulit. VI. Kal. Octobris anno Domini* 1713.

XX. Profecto ſi Gens utraque, integrum omnino *S. Marini* Corpus ſibi vindicare obfirmato animo vellit, ſtabit lis ſub Judice adhuc, ſtabitque fortaſſe in ævum. E contra vero facilime dirimi poterit, ſi aliquas duntaxat Reliquias in Ticinenſi Templo aſſervatas ſentiamus, reliquas vero, potioreſve corporis partes in S. Marini oppido cuſtodiri. Nec id gratis aſſertum, nec dicimus divinando; ſiquidem Bernardus ipſe Saccus Hiſtoriæ ſuæ Ticinenſis loco citato ſcribit: *Templum S. Marini una cum Monaſterio ad majorem aliquarum reliquiarum* (non integri corporis) *honorificentiam in Urbis medio eleganter conſtructum fuiſſe ab Aiſtulpho Longobardorum Rege*. Sanmarinenſe pariter Templum quod ſpectat; eſto integram prætioſarum exuviarum hæreditatem Reipublicæ illi remanſiſſe, ſcripſerint memorati Socii Sanmarinenſes; & oſſa omnia in lapidea Urna utriuſque tranſlationis, a Marino Bonetto primum, dein ſub Epiſcopo Martorellio peractæ, occaſione, reperta fuiſſe dictitent illi, reapſe tamen plura deſiderabantur. Quo ſaltem tempore ea ſcripto mandarunt Belluzzius, & Manenti, & poſtrema facta fuit ab Epiſcopo Martorello Sacrum exuviarum recognitio, omnia oſſa reperta fuiſſe, affirmari citra mendacium nequaquam potuit. Deerat enimvero ad minus ea Coſtula, quam Arbenſibus Sancti ſui Concivis reliquias enixe petentibus, dono transmiſerat anno 1596. Marinus ipſe Bonettus, ut ex ſequenti patet Epiſtola, ſub die 29. Januarii ad

eum data : *Reverendæ Dominationi Veſtræ placuit Civitatem hanc ornare ſacris reliquiis Coſtæ glorioſi corporis S. Marini popularis noſtris. Gratias agimuſ quas poſſumus maximas de tam caro, & præcioſo dono.... Heri Sanctiſſimæ iſtæ reliquiæ approbatæ fuerunt, & repoſitæ apud alias in Sanctuario bujus Cathedralis &c.* Deerant inſuper alia plura; quod ex ore accepimus Ludovici Zucchi Feretrani Archidiaconi, qui Epiſcopo Martorello, ſacras eas reliquias inuiſenti, & recognoſcenti aſtitit Miniſter, & Teſtis; & membra ſingula quam diligentiſſime inſpiciens Brachiorum, & Fæmorum oſſa nonnulla, ſpinam quoque dorſalem, ſeu Vertebras pene in integrum deſiderari, & alia forſitan obſervavit; capitis pariter a corpore ſeorſim repoſiti, nec Occipitium cernitur, nec extat mentum. Hinc ſi quæ Ticini aſſervantur ea eſſent, quæ ad integrandum S. Marini corpus in ejusdem nominis oppido cuſtoditum, requiruntur, jam acta res eſſet. At hoc Papienſibus, quorum maxime intereſſe deberet, indicaſſe ſufficiat. Nos interim ad exhibendam tandem ſeriem Præſulum Feretranæ Eccleſiæ, quæ SS. *Leonis*, & *Marini*, quorum acta pro virili illuſtrare conati ſumus, patrocinio gloriatur, nulla mora accedamus; & ſit hæc Diſſertationis hujuſce

TER-

TERTIA PARS.

I. NON prior ſane, qui Feretranis Populis datus fuerit Epiſcopus, ſed qui primus attamen in monumentis occurrit fuit *Agatho*. Ipſius, pariter & ſubſequentium incertus eſt ortus, obſcurum genus, latent omnino res geſtæ, nec quo vere anno hanc Sedem impleverit, deprehendere licuit. Eam tamen anno ſaltem 826. tenuiſſe certo ſcimus, ex actibus Romani Concilii ab Eugenio Papa coacti, quibus ille ita ſubſcripſit: *Agatho Epiſcopus Montis Feretris*. Octo ſupra triginta Canones in ea Synodo fuere editi, & illud maxime a Pontifice inſinuatum, ut Canonici prope Cathedrales Eccleſias communem in Clauſtris vitam agerent, & ut prorſus neglecta liberalium artium, & Scripturas ſtudia inſtaurarentur, Epiſcopis ipſis, ſi opus eſſet, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus hanc in ſe Provinciam ſuſcipientibus, vel idoneis ad id adhibitis Præceptoribus, qui, ni alibi, in Epiſcoporum Ædibus, vel Parochorum domibus, degerent. Eſto unus ex tribus ſupra ſexaginta Patribus, qui Concilio interfuere, *Agatho* fuerit, nihilominus an potuerit Pontificio parere Decreto, dubia res eſt, cum, ut ſupra diximus, minime conſtet, an commune ullum pro Canonicis habitaculum in Monteferetro, ulla Cathedralis Eccleſia in ea Diæceſi, ullus poſtremo pro Epiſcoporum reſidentia deſignatus locus eo tempore extiterit. Diem ſuum clauſiſſe ſupremum anno 853. Epiſcopum Agathonem aſſerunt in Catalogis Laurentinius, & Oliverius; at utinam digitum ad fontes ex quibus hæc, & ſimilia hauſere, intendere iis placuiſſet, facile inde nobis eſſet vel pollice utroque eorum ſententiis ſubſcribere, vel ab eorum opinationibus tuto recedere. Certo tamen certius eſt, ſaltem eo labente anno

anno 853. Feretranam ſedem tenuiſse Stephanum, ut ex Concilio eo anno habito indubitanter evincitur; at cum ea Synodus die duntaxat VIII. Decembris incæpta fuerit, fieri fortaſse potuit, ut vita functus Agatho vacantem ſedem reliquerit, quam eo ipſo nondum elapſo anno Stephanus Succeſsor ejus impleverit.

II. *Stephanus* igitur Feretranam ſedem, a qua Agatho moriens receſserat, dubio procul tenebat anno 853; interfuit ſiquidem per Procuratorem *Leonem*, ſcilicet Præsbiterum (quem Laurentinius *Suberum* vocat, *Gubertum* vero Oliverius) Concilio Romæ eo anno habito ſub Leone Papa IV. die 8. Decembris; in quo Anaſtaſius titulo S. Marcelli Cardinalis depoſitus fuit, & Sacerdotio privatus eò quia Parochiam ſuam per quinquennium deſeruerat, duobus Conciliis contra ipſum coactis intereſse, Apoſtolicis litteris auditum præbere, & Nunciis parere detrectaverat. Infirmitate forte detentus *Stephanus* perſonaliter adeſse nequivit Concilio; at ejus nomine interfuit Leo Præsbiter his ſe verbis ſubſcribens *Leo Præsbiter vicem agens Stephani Epiſcopi Monteſeletranæ*. Quod tunc temporis per Procuratorem egit, præſtitit poſtea per ſeipſum anno 861; quo Nicolaus Papa I. Synodum Romanam coegit contra Joannem Archiepiſcopum Ravennatenſem, qui Comprovincialibus Epiſcopis intolerabilis effectus, prorſus tyranice propriam moderabatur Eccleſiam. Actibus hujus Concilii, & Abbate Bacchinio in lucem productis, plures Epiſcopi ſubſcripſere, quos inter: *Stephanus Monteſeletranus*. At vitam ſuam ad annum uſque 880, ut ſignat Laurentinius, imo uſque ad 882. ut in Oliveriana ſerie legitur Stephanum produxiſse, falſum omnino eſt; Feretranas enim Infulas anno 877. induerat jam Maximinus, ut mox dicemus, unde conſtat quinquennio, aut triennio ſaltem ante, vitam cum morte, Stephanum commutaſse.

III. Italia Sacra, Nicolai Colletti ſtudio, & ſum-

pti-

ptibus ſecundo Venetiis edita , tertium exhibet Feretranum Epiſcopum *Maximinum*, de quo nulla erat apud Ughellium mentio, altumque in cæteris etiam Catalogis , præterquam in calce Laurentiniani , ſilentium . Hunc reapſe in Feretrana ſede collocatum ſaltem labente anno 877, certo novimus ex Epiſtola Concilii, menſe Novembris ejuſdem anni Ravennæ habiti, qua Flaviniaci Monaſterii , & Tilinacci Villæ poſseſſio Adalgario Eduenſi Epiſcopo fuit adjudicata, ejuſque Eccleſiæ confirmata; inter enim plures Præſules, qui dictam Epiſtolam ſubſcribendo firmarunt, legitur: *Maximinus Feretranus Epiſcopus ſubſcripſi*. Eſto emortualis Maximini Epiſcopi dies certo deſignari non poſſit, id tamen fateri neceſse eſt, vix ultra triennium poſt memoratam Synodum, regiminis clavum tenuiſse. Enimvero.

IV. Circa annum 880. vixiſse *Joannem* Epiſcopum Feretranum aſserit Ughellius , imo eo ipſo anno Epiſcopales Infulas aſsumpſiſse notat Laurentinius. Id extra omnem dubietatis aleam poſitum novimus, ex Epiſtola Joannis Papæ VIII, Epiſcopum Joannem operam ſuam , Pontifice mandante , præſtitiſse , ut Romanum Archiepiſcopum Ravennatenſem, in Apoſtolicæ Sedis contumacia conſtitutum ad Synodale judicium traheret : En citatæ Epiſtolæ initium : *Quia jampridem miſſis tibi per Joannem Venerabilem Epiſcopum Montisferetrani, Apoſtolatus noſtri litteris ad Synodale te Collegium pro Eccleſiaſticis duntaxat utilitatibus nobiſcum pariter celebraturum occurrere juſſimus , & tuam nobis contempſiſti præſentiam exhibere , nunc multis te criminibus irretitum, multorumque hominum accuſationibus horrendis impetitum, & præcipue manifeſto perjurio pollutum eſſe agnoſcentes , hac ſecundæ vocationis noſtræ auctoritate ad venerabilem Synodum, quæ Deo favente* 8. *Kal. Octobris futuræ quintedecimæ Indictionis erimus celebraturi , omni occaſione , vel mora poſtpoſita , una cum omnibus Suffraganeis tuis Epiſcopis venire jubemus &c.* Hæc ex dicta Epiſtola

tran.

tranſcribere placuit, ut inde plura deducamus; & illud in primis; quod cum ſignata fuerit VI. Kal. Auguſti Indictio: XIV. nempè anno 881, & in ea legatur Romanum Ravennatenſem jampridem per Joannem Montisferetri Epiſcopum ad Synodale Collegium occurrere juſsum, minimum a vero diſtare poteſt Ughellii, & Laurentinii ſententia, quod Joannes circa annum 880 Cathedram Feretranam conſcenderit. A vero inſuper toto oſtio aberraſse deducitur Conticillum, & Maſtinium in Catalogo, quem amica manu confecere, aſſerentes, quod Joannes Epiſcopus Papæ juſsu Ravennatenſem Archiepiſcopum ad Concilium vocaverit anno 885. celebratum. Hoc Feretranus Antiſtes, Pontificiis mandatis obſequens, jam præſtiterat ante ſcriptam Joannis Papæ litteram, in qua id, ut jam præſtitum enarratur, proinde ante diem 27. Auguſti anni 881; eo vel magis, quod triennio ante 885. annum, tum Joannes Papa, tum Ravennas Archiepiſcopus e vivis abjerant; Papa quidem die 15, vel 16. Decembris 882, Archiepiſcopus vero paulo ante; ut ex Epiſtola 304. ejusdem Papæ Joannis VIII, ſic ad Ravennatenſes ſcribentis, evincitur: *Ravennatis Antiſtitis, veſtri ſcilicet Patris obitum audientes, valde dolemus, pro quo ut oretis hortamur &c.* Jure hinc merito Cl. Muratorius in ſuis Italiæ Annalibus miratur Hieronymum Rubeum lib. 5. hujus Ravennatis Antiſtitis vitam ad annum uſque 889. protuliſse. Deducemus tandem, nec veritatem omnino attigiſse Oliverium ſcribentem, quod Joannes Epiſcopus Feretranus, Romanum Archiepiſcopum duntaxat anno 882. ad Concilium vocaverit. Patuit fortaſse æquivocationi aditus, ex eo quod reapſe anno 882. habita fuit Romana Synodus, cui Antiſtes Ravennas vocatus, intereſse contempſit. At notandum: bis Archiepiſcopum illum ad Concilium invitatum fuiſse; ſemel quidem anno 881. per Joannem Epiſcopum Montisferetri, ut ex citàta Joannis Papæ Epiſtola,

ſtola , iterum autem per Epiſtolam ipſam Pontificis , ad Synodum aliam 8. Kal. Octobris Deo favente , ut ipſe ſcribit, futuræ quintedecimæ Indictionis celebrandam. Semel & iterum ad Concilium citatus, ſemel & iterum renuit adeſſe; ideoque in ſecunda Synodo, anno 882. habita, excommunicationem ſubiit, ut in Epiſtola 278. ejusdem Joannis VIII. ad Ravennatenſes eo anno data, aperte legitur. Ex his igitur ſatis compertum Epiſcopale munus ſaltem circa annum 880. Joanni fuiſſe concreditum; at quando, vel cui Feretranam ſedem poſt ſe implendam, decedens, reliquerit, incertum omnino . Hoc unum attamen extra contentionis terminos poſitum novimus , ex Placito , cujus ſupra meminimus, habito in Monteferetro: Joannem Epiſcopum ſaltem uſque ad annum 885. inter vivos degiſſe, cum Judex eo anno ſederit litis inter Deltronem Ariminenſem Epiſcopum, & Stephanum Monaſterii S. Marini in Monte Titano Præfectum, vertentis . Greſſus poſt hæc noſtros cohibere cogimur ob latiſſimam, quæ in Catalogis occurrit, lacunam ultra integrum ſæculum ſeſe protendentem ; neque enim , qui Nono labente ſæculo, qui toto decurrente Decimo, qui tandem Undecimo ineunte, eam ſedem tenuerit, ex vetuſtis monumentis deprehendere hucuſque licuit.

V. Abruptam Feretranorum Præſulum ſeriem ſinguli Catologi repetunt ab anno 1015 , quo Eccleſiam Montisferetri moderabatur *Arduinus*. Hoc certo norunt ex Lateranenſi Synodo ſub Benedicto Papa VIII. eo anno habita, cui Arduinus interfuit, ſubſcripſitque Decreto in favorem Wielmi Abbatis S. Benigni Fructuarienſis edito his verbis: *Arduinus Monteſeretranus Epiſcopus*. Triginta ſaltem annorum ſpacio huic Eccleſiæ ipſum præfuiſse evincunt alia , quæ ſervantur Conciliorum Acta . Interfuit ſiquidem Concilio , quod anno 1037. Benedictus Papa IX. Romæ habuit , in quo Andreas Peruſinus Epiſcopus juri omni ceſſit in Monaſterium

S. Petri, ut ex hac ſua ſubſcriptione patet: *Arduinus Monsfeltrenſis*. Is tandem Judex ſedit, cum cæteris Patribus in Romana altera Synodo, anno, non quidem 1024, ſed potius 1044. coacta, contra Poponem Aquilejenſem Antiſtitem, qui Gradenſem Eccleſiam, pluribus jam ab annis exemptam, dolo, & vi ſibi iterato ſubdere moliebatur; auditiſque tum Dominici Contareni Venetorum Ducis, tum Urſi Gradenſis Patriarchæ Legatis, ſententiæ ſubſcripſit, qua Privilegium, arte a Popone impetratum, infirmabatur, & Gradenſis Eccleſiæ confirmabatur exemptio, his verbis: *Ego Arduinus Feretranus Epiſcopus interſui, & ſubſcripſi*: His ex vetuſtis monumentis, quæ in dubium verti nequeunt, ſemel deductis; quis non jure mirabitur Petrum Joannem Laurentini, ſeriem Feretranorum Præſulum a ſe contextam, veluti numeris omnibus abſolutam Calvio Epiſcopo exhibuiſſe? In hoc igitur exactiſſimo, ut ſibi blandiebatur, Catalogo, poſt Arduinum collocat immediate Ridulphum, quem Concilio Romano ſub Nicolao Papa II. anno 1019 aſſerit interfuiſſe, diemque ſuum clauſiſse ſupremum temporibus Gregorii Papæ VII. Poſt Ridulphum reponit Petrum ad annum 1025, quem ab Honorio II. nobile Privilegium pro ſua Eccleſia affirmat obtinuiſse. Tandem ad annum 1040, poſt Petrum, introducit Joannem de Salariis de Arimino Ordinis Fratrum Minorum. En tot pene hallucinationes, quot verba. Ex citatis Conciliorum Actibus, quibus Arduinus ſubſcripſit, certo conſtat ſaltem ab anno 1015, uſque ad annnm 1044. ipſum Feretranam ſedem occupaſse; quo ergo fieri pacto potuit, ut eam conſcenderit Ridulphus (quem verius Adulphum appellaſset) anno 1019, Petrus anno 1025, & Joannes anno 1040? Inſuper, ſi Ridulphus, ſeu Adulphus, ipſomet Laurentinio teſte, e vivis duntaxat abiit temporibus Gregorii Papæ VII, qui anno 1073. electus fuit, qua quæſo via aditus patuit Petro in Feretrana Eccleſia ſucceſ-

ceſsori Adulphi, necnon Joanni ſucceſsori Petri, ut eam ingrederentur, prior quidem anno 1025, alter autem anno 1040? Præterea anno 1019. Petri ſedem tenebat Benedictus VIII, non Nicolaus II, qui duntaxat anno 1058. electus fuit, & ſequenti anno conſecratus, quive Concilium vere indixit cui Adulphus Feretranus Epiſcopus interfuit. Pariter anno 1025. Pontifex erat Joannes XIX, non autem Honorius II, qui poſt integrum ſæculum, anno nempe 1124. inauguratus fuit, & ſequenti anno 1125. Privilegium Petro Feretrano conceſſit. Res tandem eſt Lippis ipſis, & Tonſoribus nota, Minorum Ordinem tertiodecimo duntaxat ſæculo ineunte, initium obtinuiſſe. Quis ergo ſurda patiatur aure præteriri, quod enarrat Laurentinius, Joannem de Salariis (dicat potius de Seclaniis, de quo nos multo poſt ſuo proprio loco) Ariminenſem ex Ordine Minorum aſſumptum Feretranæ Eccleſiæ anno 1040. præfectum? Itane ad Feretranas Infulas vocatur Frater ex Ordine nondum enato, imo duobus ferme ſæculis priuſquam inſtituatur! At hæc, pace ipſius dixerim, contemnenda potius, quam refutanda. Aberrante igitur Laurentinio dimiſſo, in viam revertamur.

VI. Arduini, quem ſaltem ad annum uſque 1044. Epiſcopatum geſſiſſe certo novimus, Succeſſor (ſive immediatus, ſive mediatus) fuit *Adulphus*, ut in quatuor Epiſcoporum Catalogis videre eſt. Feretranam ſedem anno ſaltem quinquageſimo tertio ſopra milleſimum Adulphum, ſeu ut alii nuncuparunt, Andulphum jam tenuiſſe, pro certo conſtat ex eo quod præſens, & ocularis teſtis fuit Arimini, cum Petro Anicienſi, Leo Papa IX. conſecrationis beneficium impertiit die 14. Martii, ejuſdem anni, ut per probatæ fidei monumentum ex Codice Anicienſi tranſcriptum doctiſſimus evincit Mabillonius Annalium ſuorum lib. 60, num. 33. in Appendice. Concilio deinde interfuit Romæ habito, non quidem anno 1029. ſub Joanne XIX, ut per errorem

ſcripſere Conticillus, & Maſtinius (vivebat enim adhuc tunc temporis Arduinus) ſed anno potius 1059. ſub Nicolao II. Si acta hujuſce Concilii legas in collectione Labbeana, non indubitanter deprehendes Adulphum Feretranum iis interfuiſſe ; nam inter Patrum ſubſcriptiones, quas mutilas, & admodum variantes ex

Rerum Italiarum Tom. 2. part. 2.

Codice Vaticano deprompſit Petrus Poſſinus Societatis Jeſu, reperies tantum: *Adulphinus N. Epiſcopus.....* At ſi integra ea acta conſulas , quæ in Cronico Farfenſi a Cl. Muratorio edito exhibentur, ac ſingulorum Præſulum nomina percurras, qui Nicolai Papæ decretum de Romani Pontificis electione in ea Synodo emiſſum, ſubſcripſere, perſpicue legere erit: *Adulphus Feretranus*. Siſtere nos hic paululum jubet inſignis hallucinatio nuperrimi Annalium Feretranorum Conſarcinatoris, cujus nomini, cum nondum prodierit, parcendum ducimus. Hic Romanam Synodum, cui Adulphus interfuit coactam putans anno 1029. duos, ut nexum ſolvat, in ea Sede collocat Arduinos; unum quidem Adulphi immediatum Præceſſorem , alium vero Succeſſorem pariter immediatum ; unde Præſulum ſeriem hoc pacto componit. Primo collocat Arduinum, qui Lateranenſi Concilio anno 1015, & alteri pariter Romano, quod habitum falſo putat, fuiſſe anno 1024, interfuit ; deinde Adulphum Concilio coacto, ut ipſe putat, 1029. ſubſcribentem, tandem Arduinum alterum , cujus nomen ex actibus Romani Concilii 1037. habiti , legentibus innoteſcit . At cum certo nobis jam certius ſit Romanam Synodum, cui Adulphus ſubſcripſit , non anno 1029 , ſed potius 1059 fuiſſe coactam , dicimus ex conſequenti unum , eumdemque fuiſſe Arduinum , qui tribus Romanis Conciliis interfuit, annis nempe 1015, 1037 , & 1044, cui ſucceſſit Adulphus, actibus Synodus Romanæ anni 1059. nomen apponens. An ipſe ex iis Epiſcopis unus eſſet, qui minus quandoque digni, & oneri paſtorali ferendo omnino impares, adulatoriis duntaxat

taxat obſequiis, & numerata, non raro, pecunia Principum gratiam promereri, & Epiſcopalia inſigina conſequi, tunc temporis, contendebant, ſuſpicari fortaſse licet, ſed non indubitanter aſſerere. At minus ſaltem in ſibi commiſſi Gregis cuſtodia vigilem, minuſque de ſuarum Ovium incolumitate ſollicitum Paſtorem extitiſse Adulphum, citra crimen ullum & ſentiri poteſt, & affirmari; cum teſtem locupletiſſimum habeamus Gregorium Papam VII. Epiſtola 41. ad Feretranos, & Eugubinos data, ineunte anno 1075. Ad hæc, & alia evincenda Epiſtolam ipſam tranſcribere neceſse eſt: *Ex quo Eccleſiam veſtram Paſtore viduatam eſſe cognovimus, multa pro vobis ſollicitudine anxii fuimus, & quamquam multa, & gravia nos negotia occupent, ea tamen cura, qualiter divina miſericordia, dignum vobis Patrem provideat, noſtro cordi indeſinenter adhæret, atque eo magis, hac de cauſa ſollicitamur, & attentius Deo preces effundimus, quoniam in retroactis temporibus non ſatis vigilantem vobis Paſtorem præfuiſſe cognoſcimus. Quapropter miſimus ad vos hos religioſos S.R.E. Filios, videlicet Abbatem S. Sabbæ, & Abbatem S. Bonifacii, ut ſi forte in Eccleſia veſtra talis Perſona, quæ huic regimini congrua ſit reperietur, diligenter inquirant, & eam ſicut dignum eſt, veſtra electione collaudatam, & Canonico decreto probatam, nobis ad ordinandum quantocius præſentare ſtudeant. Sin igitur, inter vos talis reperiri non poſſit, ipſi cum omni diligentia, & ſollicitudine aliunde aliquem, qui vobis ſecundum Deum præeſſe poſſit, invenire procurent, & ad ſuſcipiendam Epiſcopalis officii ordinationem ad nos ſine mora tranſmittant. Vos igitur in omnibus eis credite, & obedite ſcientes eos, in hac re, cuſtodiente Deo, nihil niſi veſtram ſalutem, & Eccleſiæ veſtræ honorem attendere. Propterea quidquid theſauri, vel ornamenti in Eccleſia veſtra habetur, illorum oculis præſentate, quatenus ex eorum providentia, & commendatione in tali cuſtodia relinquatur, ut nec Eccleſia detrimentum ſentiat, nec in aliquem veſtrum aliqua ſuſpicionis infamia cadat. Dat. Romæ IV. Nonas Januarii Indict. XIII.* Conſtat ex his, primo:

mo: Adulphum Epiſcopum ultra annum 1074. non vixiſse, nam Epiſtola anno 1075. vix ineunte data, aperte habet Feretranam Eccleſiam ſuo, tunc temporis, fuiſse viduatam ſponſo. Conſtat inſuper, quoad ſucceſſorem Adulphi toto iterum oſtio aberraſse Laurentinium, & Oliverium ſcribentes: *Abbas S. Sabbæ, & S. Bonifacii creatur Epiſcopus* 1075. Putant in primis, errore vix Grammaticæ Tyronibus condonando, Abbatem S. Sabbæ, & Abbatem S. Bonifacii ſingularem eſse perſonam, cum ex apertis ipſius Epiſtolæ verbis liquido appareat, duos Abbates, unum nempe Monaſterii S. Sabbæ, & alium Monaſterii S. Bonifacii, ſimul a Pontifice miſsos ad Feretranos, & Eugubinos. Falſiſſime aſserunt inſuper S. Sabbæ, & S. Bonifacii, quem unum putant, Abbatem datum fuiſse eo anno Feretranis Epiſcopum. Miſſi ſiquidem duntaxat fuere ii Abbates, ut regimini idoneam perſonam ex Feretranis ipſis, & Eugubinis perquirerent, ſive aliunde invenire curarent, quam canonice electam, ſine ulla mora, conſecrandam ad ipſum Gregorium tranſmitterent. Hæc probatione non indigent, ſed lectione tantum. Quis vero, ipſorum opera electus fuerit Epiſcopus Feretranus, imo quisnam per ſæculi dimidium eam Eccleſiam adminiſtraverit, hucuſque latet.

VII. Vetuſta enimvero, quæ huc, illucque diſperſa Eccleſiæ hujus monumenta ſuperſunt, perſcrutantibus, ſeu rariſſima potius monumentorum fragmenta colligentibus, nullius Feretrani Præſulis nomen occurrit, ante annum 1125. Epiſcopalem hanc, eo temporis, Cathedram moderabatur *Petrus*, ut ex Privilegio, quod ab Honorio Papa II, Pontificatus ſui anno primo, Chriſti nempe 1125. 11. Kal. Maii Indict. III, reportato, & apud Ughellium, ſi libeat per extenſum legendo, evidenter apparet. Petrum hunc ex Carpinea Gente progenitum, ex vetuſto monumento olim in Arce Scaulini aſſervato, evinci, ſedulus nobis ſignificavit Feretra-

retranarum antiquitatum ſcrutator Hippolytus a Turre, cujus verbis non aequieſcere crimen profecto duceremus.

VIII. Petro vita functo, immediate ſucceſſiſſe *Arnoldum*, de quo in Catalogis Laurentiniano, & Oliveriano altum ſilentium, improbabile quidem non eſt, at non extra omnis dubietatis poſitum aleam; latet enim quo anno prior e vivis abierit, quove alter regiminis clavum ſuſceperit. Hoc de Epiſcopo Arnoldo patet duntaxat, quindecim ſaltem annorum ſpatio Infulas Feretranas geſtaſse; nam primo occurrit ejusdem mentio, Ughellio teſte, ad annum 1140. in Monumentis Monaſterii S. Mariæ de Campo Martio, & ipſius poſtremo meminit Clementinius dicens: Arnoldum Epiſcopum Feretranum conſecrationi Eccleſiæ Cathedralis, quæ Arimini fuit peracta die 13. Maii 1154. interfuiſſe. Ex his ſi ſemel verti in dubium nequaquam debeant, nomen innoteſcit Epiſcopi Feretrani, qui cum uno Præpoſito, & duobus Abbatibus ſolemni interfuit dedicationi Eccleſiæ S. Feliciani Fuglinii factæ per Julium Cardinalem S. Marcelli, & Eugenii Papæ III. Legatum. Conſecrationis hujuſce Inſtrumentum refert per extenſum Ughellius, & ex ipſo Labbe dicentes: quod Julius Cardinalis cum Fulginii commoratus fuiſſet, ejusdem loci amænitate allectus, ad enixas populi preces, ut Eccleſiam illam conſecraret, Concilium ad id, & alia plura diſcutienda indixit, dedicationem peregit, cum interventu duorum Archiepiſcoporum, & trium ſupra viginti Epiſcoporum, quos inter recenſebatur: *Monsferetranus cum uno Præpoſito, & duobus Abbatibus*. Fallitur tamen Ughellius, dum ait id factum fuiſſe die 10. Martii 1146, cum ex originali Diplomate, quod uſque adhuc in Capitulari Archivio aſſervari teſtatur Doctiſſimus Muratorius in notis ad Fragmenta Fulginatis Hiſtoriæ, ſignandus potius ſit annus 1145, qui Pontificatus Eugenii Papæ, non quidem Antiqui. Italiæ Differt. 46.

erat

erat annus quintus, ut legitur in Ughellio; nec ſecundus, ut apud Labbe, ſed annus primus. Temporis autem nonnihil Epiſcopatui Arnoldi detrahendum erit, illudque duobus Feretranis Præſulibus, quorum apud Ughellium, alioſve, nulla mentio, concedendum, ſi ſemel conſtet anno 1153. Sedem hanc tenuiſſe *Joannem* quemdam, ut ſibi conſtare aſſerit, nuperrimus Annalium Feretranorum Scriptor, quem ſuppreſſo nomine ſupra indicavimus. Sane ſucceſſorem Arnoldo immediatum dedere Joannem jurati etiam Socii Conticillus, & Maſtinius, qui tamen iterum aberrantes eum de Selaniis, & Minoritam dixere, ſignaruntque annum 1140. At quo adhibito monumento, vel Teſte, hunc novum inſtituerint Præſulem, nos latet. Fontem, utinam, unde hæc attigere indicaſſent ipſi, facile eorum ſententiæ non inviti, ſed lubentes ſubſcriberemus, Epiſcoporum ſeriem ita reformantes, ut poſt Arnoldum collocaretur, ad annum 1153. Joannes, & poſt Joannem *Arnolphus* (ſic enim eum Clementinius appellat) non Arnoldus, qui conſecrationi Ariminenſis Cathedralis anno 1154. interfuit; alius certe, eo caſu, ab Arnoldo, cujus nomen in Monumentis S. Mariæ de Campo Martio, Ughellio teſte.

IX. Recenſitis Feretranis Epiſcopis ſuccedit immediate in quatuor Catalogis *Alexander Nerius* Florentinus, quem ſola initiali littera A ex Rubeo ad annum 1206. indicavit Ughellius, expreſso autem nomine alii. Quo quidem anno Epiſcopalem obtinuerit dignitatem latet adhuc; at Epiſcopatum ſaltem circa annum 1173 geſſiſse, compertum eſt ex inſcriptione ad tertiam Cathedralis Eccleſiæ S. Leonis columnam, eo ſedente, & fortaſse promovente, conſtructæ. Huic inſcriptioni pauciſſimis, vetuſto more, litteris exarratæ, arbitrariam omnino interpretationem accomodans Joannes Baptiſta Marini, pro *Alexandro* legit *Valentinianum*, quaſi ab Ughellio, cæteriſque prætermiſſum. At ſane legendum

His Raven. Lib. 6.

eſse

eſſe *Alexandrium Nerium Epiſcopum* pluribus evincit in ſuis ad Apologeticon Marinianum reſponſionibus Petrus Antonius Calvi, cui Lectores, ne actum jam reagamus, ultro remittimus; teſtem duntaxat adhibentes Marini Commilitonem, & Concivem Laurentinium, qui in Calce ſui exactiſſimi, ut ipſe putat, Catalogi ſic habet: *Alexander Nerius Florentinus de anno* 1173. *conſtruxit mirabilem, & artificioſam molem Epiſcopatus Feretrani in Civitate S. Leonis, ut habetur in inſcriptione poſita ſuper valvas, & in columna tertia, quæ Orientem reſpicit. De eo facit mentionem Rubeus in Hiſ. Ravennat. Lib. 6. anno* 1206. Toto pariter oſtio aberravit, quiſquis ille fuerit, qui Epiſcoporum hujus ſedis Catalogum, paucis immutatis, ex Ughelliano tranſcripſit, hanc in calce apponens notulam: *Epiſcopus Feretranus habuit privilegium a Federico ſecundo creandi Notarios Imperiali auctoritate pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis, & Comites etiam appellantur, ut conſtat ex Inſtrumento quodam, cui Rubertus Epiſcopus Feretranus ſubſcripſit in hac forma: Ego Rubertus Epiſcopus S. Leonis, & Comes* 1173. An, ea reapſe ab aliquo Imperatore (non certe Federico II, qui nonniſi die 22. Novembris 1220 Imperiali corona per Honorium Papam III. fuit redimitus) facta fuerit Epiſcopis S. Leonis facultas, illiuſque Sedis Antiſtites Comitis titulo voluerit inſignitos, vel potius tota ad fabulas amandanda ſit hæc narratiuncula, nobis, de Feretranis duntaxat Epiſcopis, differentibus, nec vacat perquirere, nec modo lubet. Non enim in craſſum illorum errorem, (quem ſemel hic adnotaſſe pro conſimilibus ſufficiat) verſamur, qui Feretranos Antiſtites cum Epiſcopis S. Leonis perſæpe confundunt. Probe enim novimus, quod præter S. Leonis Feretranæ Provinciæ Caſtrum, Urbs erat olim altera *S. Leonis*, ſeu, ut ait Ughellius, *Leonia* dicta, inter Urbem Cortonenſem, & S. Severinæ, conſtructa, poſtmodum funditus per Saracenos everſa. Proprium hæc civitas habebat Epiſcopum, qui vere

Epiſcopus S. Leonis dicebatur. At S. Pius Papa V. anno 1571. Epiſcopatum illum ſuppreſſit, & eam Diæceſim cum reditibns ſuis Metropoli S. Severinæ perpetuo junxit, ut ex Conſiſtoriali decreto die 7. Novembris edito, & per Ughellium tranſcripto, conſtat. Hujuſce igitur Civitatis Epiſcopus fortaſse erat Robertus, de quo mentio fit in citato inſtrumento; hoc enim certo certius eſt, anno 1173. Feretranam ſedem tenuiſse Alexandrum Nerium, quem cum ſuperſtitem adhuc fuiſſe ſcribat Rubeus anno 1206, conſequens eſt, ut ſaltem ultra trigintatrium annorum ſpacium vitam in Præſulatu tranſegerit. At brevius fuiſſe ejusdem gubernium, ut fateretur, neceſſe eſſet, qui opinioni mox memorati Marini tuto ſe acquieſcere poſſe exiſtimaret, dum contendit Feretranum Antiſtitem initiali littera A indicatum a Rubeo ad annum 1206. non fuiſſe Alexandrum, quem ipſe ignorat, & cujus loco Valentinianum inducit, ſed alium *Albertum* nomine. Novum hunc Feretranum Epiſcopum ſibi innotuiſſe, ſcribit, ex Manuſcripto quodam in Archivio D. Armani Civis Eugubini aſſervato, ſicque inſcripto: *Ex memorabilibus MS. apud D. Fulvium de Civitate S. Leonis;* in quo hæc Italico ſermone adnotantur: *S. Leo nell' anno* 1208. *aveva il Veſcovo chiamato Alberto*. Omnimoda fide dignum (fortaſſe quia ſibi favorabilem) hunc Codicem, ex eo probat Marinius, quod in aliis cum probatiſſimis Scriptoribus adamuſſim concordet. At de hoc, fides ſit apud ipſum. Nos vero, quos latet qua ætate, qua manu, qua fide collecta fuerint ea memorabilia, & ſcripto tradita, etſi obfirmato animo improbare nollimus, tamen nec proni ruere poſſumus in Marini ſententiam, ut novum Antiſtitem, quem cæteri omnes huculque ignorarunt, in Feretrana ſede, clauſis oculis, collocemus, & de eo contra communem aliorum ſenſum, dicta accipiamus, non de Alexandro, quæ citato loco Rubeus enarrat.

X. Epi-

Digitized by Google

X. Epiſcopales Infulas, quas Præceſſor decedens exuerat, induit *Joannes* hujus nominis in Feretrana ſede ſecundus, geſtabatque juxta omnes Catalogos anno 1218. Civem Ariminenſem fuiſſe, aſſerunt Conticillus, & Maſtinius, quinimo Ordini Minorum nomen dediſſe, ac Theologiæ fuiſse Profeſsorem, ſcribit indubitanter Catalogi ab Ughelliano deducti Auctor. Mirum profecto! Quotieſcunque occurrit aliquis inter Feretranos Præſules Joannes nomine, ſtatim Patria Ariminenſem, & profeſſione Minoritam pronunciant aliqui, id ignorantes, quod citato anno Minorum Religio, nondum ab Apoſtolica Sede confirmationis beneficium reportaverat. De Joanne igitur, vere Ariminenſi, & Minorita, ſuo loco dicemus. Ut in præſenti ergo ſiſtamus: Ad exorientem ſaltem uſque annum 1221. inter vivos ſtetiſse patet ex Inſtrumento die ultima Januarii anni ejusdem ſignato, Joanne ipſo Epiſcopatum gerente, cujus membranaceum Autographum apud Lateranenſes Canonicos ſervatur Arimini, quo dos librarum Ravennatenſium 260. conſtituitur Quintiæ Quintollii Filiæ, quæ cuidam Biſacioni nupſerat. Epiſcopo huic privilegia plura per Federicum II. Imperatorem fuiſse anno 1218. conceſsa; inter quæ facultatem creandi Notarios, & Comitis titulum aſserunt Ughellius, Laurentinius, & ſæpe memorati Pinnenſes Socii Conticillus, & Maſtinius addentes tum Joannem, tum ipſius Succeſsores diu Comitatus inſignia retinuiſse, & poteſtatem in Caſtro Maceani exercuiſse. Saltem de Roberto Adimario, qui poſt duo ſæcula, & amplius a dato Diplomate, Epiſcopatum geſſit, compertum eſt ex Inſtrumento per extenſum ab Ughellio tranſcripto, quod Federiciano illo privilegio uſus, Coronatam Mitram, & Comitis titulum uſurpavit, & Notarios Imperiali auctoritate conſtituit. At de ipſo quoque ſuo loco. Privilegii hujus Autographum pene corroſum aſservari in Archivio Pinnenſi affirmat Ughellius, & Laurentinius, apud quos fides ſit;

nobis enim quamdiu apud Antiſtitem Calvium a Conſiliis Theologicis fuimus, illud videre non licuit; imo Cl. etiam Hippolyti a Turre Feretrani Canonici, qui in undequaque perquirendis, & vetuſtis iterato evolvendis Montisferetri monumentis, nec improbo quidem parcit labori, diligentiam effugiit. Id inſuper denuo monendum, Fedricum anno 1218. coronatum nondum fuiſse, ſed poſt biennium, nempe anno 1220.

XI. Paucis omnino a dato Diplomate elapſis annis, Joannem Epiſcopum diem ſuum clauſiſse ſupremum, ex ſingulis Catalogis conſtat, cum in Feretrana ſede jam collocatum ad annum 1222. enuncient *Rolandum*. Teſtem adhibent Hieronymum Rubeum enarrantem, commiſsam fuiſse poſt biennium Rolando Antiſtiti Feretrano, datis ad ipſum Pontificiis litteris, controverſiam dirimendam, quæ Simonem inter Ravennæ Archiepiſcopum, & Priorem, atque Canonicos S. Mariæ in Portu vertebatur; dum ſibi ſubjectos eos eſse debere Archipræſul contendebat, quod ii mordicus pernegabant. Litis hujus Judicem Epiſcopum Urbinatem a Pontifice primo conſtitutum habere renuerunt Portuenſes Canonici; ſed nec Epiſcopi Ariminenſis, cui poſtea delata res fuerat, judicio ſtetit Ravennas Archiepiſcopus. Hinc Honorius Papa III. datis ad Rolandum Feretranum Epiſcopum Epiſtolis 17. Kal. Julii Pontificatus ſui anno 6, ipſum (quod profecto maximum probitatis, & æquitatis ejus argumentum erit) Judicem deſignavit, cujus ſententiæ neutra pars non poſſet non acquieſcere. Ex nobiliſſima Comitum Feltriorum Gente progenitum Rolandum, putat Marinius, quod tamen non admittit Calvius, marinianas conjecturas ſibilis excipiens, & chachinis. Nobis, utinam alia Rolandi geſta ſcire licuiſset, cæterum ex hac, vel illa familia ortus fuerit necne, non adeo momentoſa res eſt, ut contentioſum vellimus cum aliquo de ea ducere funem. Hoc unum novimus, quod nempe Rolan-

Hiſ. Raven. Lib. 6.

Rolando Epiſcopatum gerente prima peracta eſt conſecratio altaris B. Virginis Gratiarum in Eccleſia Pinnenſi Sancto Chriſtophoro ſacra.

XII. Quod circa progeniem mox memorati Rolandi in dubium revocant, extra dubietatis aleam poſitum reputant de Succeſsore Ugone, ſeu ut communiter appellatur *Ugolino*. Fatentur ſane omnes, neque id non fateri nequeunt ſi vetuſtis, iiſque probatis monumentis adhibenda ſit fides, Feretranum hunc Antiſtitem ex Feltria, ſeu Comitum de Monteferetro Familia fuiſse; oriunda, ut putant, ex prænobili Gente Carpinea, adhuc paucis ab hinc annis, in Agro Feretrano Carpinei Caſtrum dominante, in quo magnificentiores ædes, quam quod loci conditio pateretur, vere profuſa pecunia a Cardinali Gaſpare Carpineo conſtructas, admirabundi ſæpe conſpeximus. Ex eo, inquam nobiliſſimo genere natum Ugolinum, aſserit Ughellius, cæterique poſt ipſum, teſtem adhibentes Innocentium Papam IV. apud Rubeum, qui in litteris ad Philippum electum Ravennæ Archiepiſcopum, nominat: *Ugollinum Epiſcopum Feretranum, & dilectos filios nobiles viros Montemſeltranum, & Cavalcontem Fratres ejus*. Fratrum ſuorum, qui ad Federici II. Eccleſiæ jura, pacemque populorum perturbantis, caſtra tranſierant, diu veſtigiis adhæſit hic Feretranus Antiſtes, ejusdem Imperatoris partes ſecutus; at eo mortuo ad Pontificis, qui tunc morabatur Peruſiis obedientiam rediit anno 1251, ut ex Rubeo enarrat Ughellius. Cæteris diuturniorem fuiſse Ugolini Epiſcopatum indubitanter aſserit Laurentinius, dum putat ab anno 1228, uſque ad annum 1282. per annos nempe quatuor ſupra quinquaginta Præſulatum geſſiſse. Ipſius quæſo referamus verba: *Ugo ſeu Ugolinus Epiſcopus Feretranus creatus de anno* 1239, *& tranſegit cum Archipræsbitero Plebis Petini Maceratæ ..... vivebat de anno* 1252. *Longæva ſuit bujus Epiſcopi vita, nam de anno* 1228. *vivebat Epiſcopus Feretranus, ut*

ut ex Hiſtoria Clementinii , & uſque de anno 1282. *nullus alius legitur Epiſcopus adeo ut* 54. *annorum ſpacio Eccleſia ab ipſo videtur recta* . En quomodo pauciſſimis interjectis verbis, ſibi invicem pugnantia referat, ac vera enunciet permixta falſis. Prius aſserit Ugolinum anno 1239, quo cum Petini Archipræsbitero tranſegit, creatum Epiſcopum fuiſse; paulo vero poſt Clementinium teſtem adhibet, ut ipſum ſtatuat jam ab anno 1228. Epiſcopali dignitate donatum; & uſque ad 1282. inter vivos ſtetiſſe. Certe ex Clementinii Hiſtoria, quam iterato perſpeximus, id nequit evinci; ſiquidem priori anno ideſt 1228. Ugolinum quemdam profert, at non Epiſcopum; poſteriori vero 1282, ne verbum quidem de Ugolino quocunque. Quod vere anno ſaltem 1239. ea jam eſſet Ugolinus dignitate inſignitus, extra dubietatis terminos collocatur per citatum Inſtrumentum tranſactionis inter ipſum, & Artuſium Petini Archipræsbiterum, rogante Francione Notario: *anno a Nativit. Domini* 1239. *Indic.* 12. *tempore D. Gregorii Papæ die* 9. *Dominica exeunte Februario*; cujus Autographum aſſervari dicunt in S. Leonis Archivio. Quod inſuper anno 1251. Feretrano ſuo vivens adhuc, Epiſcopatu frueretur Ugolinus, apparet, apud Rubeum, ex Brevi Innocentii Papæ IV. dato Peruſiis IV. Id. Decembris; quinimo ſequentem etiam annum attigiſſe, colligi poſſe videtur ex iis, quæ de ipſo citatus Rubeus enarrat. At ad annum uſque 1282. non perveniſſe, ut contendunt Laurentinius, & Oliverius; ſed quod intra anni 1252. ſpacium, vitam ſuam cum morte commutaverit, (ni forte, ut aliqui auctumant ei exauctorato, & adhuc ſuperſtiti datus fuerit Succeſſor) tam certum eſt, quam quod maxime. Hoc ut ſtatim appareat, quiſnam eo anno Feretranam Sedem impleverit, perquiramus.

XIII. Satis profecto nunquam mirabimur Laurentinium vitæ, & præſulatus annos triginta Ugolino addidiſ-

didiſſe, tam fidenter ſcribendo, quod ad annum uſque 1282. nullus alius legatur Epiſcopus Feretranus. Non legitur, quidem, quo fato neſcimus, in cæteris manuſcriptis Catalogis, quibus utimur; at legitur tamen in Ughellio, cujus nomen Reipublicæ litterariæ notiſſimum, cujus opus *Italia ſacra* inſcriptum, nemini, qui de Epiſcopali aliqua Sede intra Italiam conſtituta, diſſerere vellit, nec negligere licet, nec ignorare. Legitur, igitur, certiſque monumentis probatur, anno 1252. vita functo, vel ſi vellint, exauctorato Ugolino ſucceſſorem datum fuiſſe *Joannem* ejusdem Eccleſiæ Canonicum, & in ea Sede hujus nominis tertium. Probatur nanque electio Joannis a Capitulo facta, & ab Innocentio Papa IV. eo anno confirmata, eo ipſo Pontificio Brevi, per Ughellium tranſcripto, hiſque verbis concepto: *Joanni Epiſcopo Feretrano &c. Ex tenore tuæ petitionis accepimus, quod cum olim Feretrana Eccleſia vacante dil. Fil. Capitulum, te in ſuum Paſtorem canonice, & concorditer elegerunt dil. Fil. N. Oct. S. Mariæ &c. Apoſtolicæ Sedis legatus, præſentatam ſibi electionem bujuſmodi, auctoritate ſua Legationis provide confirmavit, ac tibi fecit munus conſecrationis impendi &c. Dat. Peruſii Non. Novembris anno* 10. Quiſnam vero fuerit Apoſtolicæ Sedis Legatus, quem Innocentius indicat per ea verba *Dil. Fil. N. Oct. S. Mariæ*: certo didicimus ex M. S. Codice in Urbaniæ Bibliotecha ſervato. In eo ſiquidem pagina 354. binæ leguntur Epiſtolæ Octaviani Ubaldini, prius Archiepiſcopi Bononienſis, poſtea S. R. E. Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis legati, quarum una: *Univerſo Clero Civitatis, & Diæceſis Feretranæ* data, electionem Epiſcopi Joannis a Capitulo, cujus ille membrum erat, per modum compromiſſionis factam confirmat; altera vero Epiſcopis Cæſenatenſi, Sarſinatenſi, & Forolivienſi committit, ut electo Feretrano Præſuli conſecrationis munus impendant. Temporis, ac laboris jactura fortaſſe videbitur poſt tam inſigne, tamque perſpicuum teſtimonium

Digitized by Google

nium, monumenta alia in rei confirmationem perquirere, quaſi adhuc dubitationi locus adeſſe poſſit, num vere Joannes Epiſcopus fuerit Feretranus, eamque Eccleſiam eo tempore regendam tenuerit. At cum tempus præterea deduci poſſit ex aliis, quo Joannes Præſulatum geſſerit, idcirco ab iis reportandis duximus non omnino abſtinendum. Saltem ante annum 1268. e vivis non abierat, ut conſtat ex Inſtrumeuto apud Arimenſes Canonicos Lateranenſes exiſtente, die 27 Novembris dicti anni rogato in Caſtro Majoli per Benvenutum a Libiano Notarium, quo Rainerius, & Guido Carpinei proprio, & aliorum Comitum nomine, cum quodam Homunculo Luciani Filio de Billis convenere &c. in cujus calce legitur: *quibus omnibus Vener. Pater D. Jo: Epiſcopus Feretranus prædictus Ordinarius Judex ſedens, omnia ad utilitatem dictorum Fratrum fore factum ſua jurisdictionis auctoritate &c.* Sequenti adhuc anno 1269. vivebat Joannes, ſi fides ſit adhibenda rerum Feretranarum ſcrutatoribus Oliverio, Conticillo, Maſtinio, aliisque, quos inter, adhuc ſuperſtiti (ad multos utinam annos) Hippolyto a Turre, quibus ex vetuſto, probatæque omnino fidei Inſtrumento ſub die 9. Junii 1269. in Caſtro Majoli rogato per Simonem Marochium publica auctoritate Notarium, innotuit: quod Joannes Feretranus Epiſcopus ratam, edito Decreto, habuit venditionem a Comitibus Rainerio, & Guidone Carpineis, una cum Uguccione de Florentino, & Ugolino de Petra Rubea eorumdem Nepotibus, Communitati Pinnæ factam ſtatuto prætio, ſolutoque librarum Ravennatenſium quinquaginta ſupra octingentas; qua juri ſuo ſuper Forum Billi, & viam quæ a S. Floriano ad dictam Forum ducebat, necnon ſuper Plebem S. Petri in Miſſa, in ſupradictorum Hominum utilitatem ſponte cedebant. Inſtrumentum hoc in Arce Scaulini ſervabatur olim, at ſecum Romæ illud detulere Marchiones de Cavaleriis. Sancti autem Floriani Eccle-

cleſiola (ut obiter dicam) inter amnes Mariculam , & Sonatellum ſita olim, nunc aquarum edacitate jam diruta eſt. Certe quinimo vivebat ſequenti adhuc anno 1270; in Libro enim viſitationum, qui in Archivio Epiſcopali cuſtoditur , inter acta viſitationis Eccleſiæ S. Martini de Petra Maura per Antonium de Poſſentibus Epiſcopum die 2. Auguſti anno 1668. peractæ , hæc leguntur: *In Altari S. Martini invenit capſulam ex Gypſo in modum Arcæ , & ibi memoriam in Latere coEto , cum inſcriptione hoc modo:* 1270. *Reliquiæ S. Martini &c. Tempore D. Joannis Epiſcopi Feretrani, qui hanc Eccleſiam conſecravit*. Superſtitem tandem anno 1275. Joannem Epiſcopum evincit Autographum Inſtrumentum apud Moniales S. Agathæ Feretranæ Diæceſeos , repoſitum , conſecrationis Eccleſiæ illarum Sororum per dictum Epiſcopum peractæ. Hoc tamen ne dictum putes de Eccleſia, & Aſceterio in quo nunc Deo famulantur Clariſſæ illæ, quæ non ſemel tranſmigrarunt. Cænobiolum enim primum incoluere ad oram fluminis Sonatelli , inter Caſtrum Illicis, & Arcem Pratiſſam , inde vero Monaſterium intra Arcem ipſam conſtructum , cujus etiamnum viſuntur veſtigia ; deinde in Eccleſia S. Vincentii extra Arcem illam poſita, divina diutius perſolverunt officia ; tandem oppidum S. Agathæ petentes, inibi domicilium impetrarunt . Scias hinc , mox memoratam Eccleſiam S. Vincentii, quæ nunc etiam juris eſt ipſarum Monialium , eam eſſe quam Joannes Epiſcopus die 9. Auguſti 1275. conſecravit. An poſtea tandiu ei fuerit vita comes , ut illi immediate anno 1282. Robertus ſucceſserit , improbabile quidem minime eſt , cum nullus alius nobis Præſul occurrat , at id indubitanter veremur aſserere.

XIV. Viduatam Feretranam Eccleſiam, traditam anno 1282. veluti novo Sponſo fuiſse *Roberto* pari conſenſu referunt Ughellius , cæterique Catalogorum confectores poſt ipſum. Hic ille eſt , cui mandatum fuiſse

 a Mar-

a Martino Papa IV. aſſerunt, ut Ugolinum Feretranum Præpoſitum Guidonis de Monteferetro Filium, Ghibellinorum cum Patre ſuo fauctorem acerrimum diligentiſſime cuſtodiret; idque ex Vaticano Regeſto ad paginam 35. apparere. At de hoc jam dictum alibi.

XV. In Feretranorum Antiſtitum Claſſe ſtatim poſt memoratum Robertum, reponit Ughellius Fratrem *Clarum* ab anno 1291, ad annum uſque ſolummodo 1293, quaſi ex Minorum Ordine aſſumptum; nam teſtem profert Lucam Wadingum in Annalibus Minorum Tomo IV. Celebris hujus, & litterario orbi notiſſimi Annaliſtæ teſtimonio ab Ughellio fidenter adducto, decepti Conticillus, Sociuſque Maſtinius, necnon Catalogi alterius ex Ughelliano deducti incertus Auctor clauſis oculis ejusdem adhæſere ſententiæ, locum inter Feretranos Præſules Fratri huic Claro concedentes, quem ei denegarunt tum Oliverius, tum cæteri Feretrani Cronologi, altum de hoc inter *Robertum*, & *Rolandum* medio Epiſcopo, ſilentium ſervantes. Evoluiſſe Minorum Annales a Wadingo conſcriptos Joannes Marini teſtatur, teſtantur alii ſe id præſtitiſſe; diligenter ad citatum, & proximos annos nos ipſi perſpexiſſe fatemur, & hunc datum ab Ughellio Feretranis Epiſcopum reperire non contigit. Meminit quidem Wadingus ad annum 1299 cujusdam Clari numero 5. habens: *In Provincia Tuſciæ F. Clarus de Florentia ut nomine, ita & ſcientia clarus, præſertim in jure Canonico, Vir religioſus, ac pius*. Quod vero ad Epiſcopales Infulas ex Ordine illo aſſumptus fuerit nec verbum habet Wadingus; ſed nec quidem habere poterat; cum certo conſtet Feretranam Sedem eo tempore alios occupaſſe. Occupabat eam ſane & probabiliter immediate poſt Robertum anno 1293, ut Ughellius ipſe, cæteriſque pari conſenſu Cronologi *Rolandus* hujus nominis inter Feretranos ſecundus, Guelphæ factionis, ut aſſerunt, & ex Hiſtoria Bononienſi compertum ſe habere, ait Laurentinius,

Apolog. Feretra. Cap. 7. num. 9.

nius, & Oliverius, Princeps, & Propugnator acerrimus.

XVI. Occupavit Feretranam ſedem ab anno ſaltem 1295. poſt Rolandum *Ubertus*, ut omnes Catalogi habent; idque nobis inſuper conſtat, ex litteris eo anno datis Indulgentiarum, quas in favorem Monaſterii Glauderienſis plures Epiſcopi Romæ exiſtentes conceſſere; quos inter legitur: *Hubertus Feretrinus*, pro *Feretrano*; ut videre eſt apud Martene Tom. I. Anedoctorum pag. 1271. Anno ſaltem 1310. ſuperſtitem fuiſſe Ubertum indubitanter aſſerunt omnes, ex eo quod Concilio Ravennæ a Rainaldo Archiepiſcopo eo anno, contra potiſſimum Templarios, coacto, interfuit, actibuſque his verbis ſubſcripſit: *Ubertus Feretranus*. Quinimo anno duntaxat 1318. vitam ſuam cum morte commutaſſe Ubertum affirmat Ughellius. De ipſo hæc habent Socii Conticillus, & Maſtinius: *Hic accepit jure Empitheutico Montem Bovarium ab Archiepiſcopo Ravennæ, & de anno* 1366. *confirmatum fuit. Sic Rubeus lib. 6. pag.* 582. En Rubei verba: *Petrocinus Archiepiſcopus ad Eccleſiæ ſuæ bona adminiſtranda converſus, Bandino Uberto ab Romena Comitis filio, Oppidum Montem Boarium, quoad acceperat Ubertus jure Emphyteutico a ſuperioribus Archiepiſcopis confirmavit*. At hæc, quæ conſulto tranſcripſimus, poſſint de Uberto Feretrano Præſulæ, an de alio potius Uberto interpretari, viderint ipſi. Male profecto ſibi conſtans Ughellius ſeriem Callienſium Epiſcoporum exhibens, novum circa hæc tempora inducit Feretranum Antiſtitem *Jacobum* nomine, nedum Cronologis cæteris, verum & ſibimetipſi de Feretranis differenti, incognitum penitus, nam illum omiſit. En ipſius, de Petro Callienſi Epiſcopo, loquentis ipſiſſima verba: *Hunc poſtea idem Pontifex cum Jacobo Monteſeltrano Epiſcopo exauctoravit, quod Federico Monteſeltrenſi Dynaſtæ, per id tempus Eccleſiæ hoſti tuliſſent ſuppetias*; & id factum putat Menſe Januario 1326. Ughellium erraſſe deprehendit Marinius, pro-

 bat-

batque ex quodam Benvenuti, de quo dictum alibi, Diplomate Piſauri reperto, datoque anno 1325. die 29 Septembris. Aut ergo, ſic arguit ipſe, nullus Feretranorum Antiſtes ob latas Federico Feltrio ſuppetias fuit exauctoratus, aut is fuit Benvenutus. Cum enim certum ſit Federico Feltrio anno 1322. intentatam necem fuiſſe, imo & Urbini executioni mandatam, vero nihil ſimile videtur, ob ei, jam triennio ante vita privato, delata ſubſidia, Præſulem aliquem exauctoratum fuiſſe. Addendum putarem: improbabile omnino eſſe Præſulem aliquem Feretranum, quicunque is tandem fuerit, adjutricem manum Federico adhibuiſſe, qui, ut mox videbimus, ex Epiſtola Joannis Papæ, bona Feretranæ Eccleſiæ perſæpe invadebat, imo S. Marini Caſtrum tunc temporis uſurpatum retinebat. At ſi quis id reapſe anno 1326. contigiſſe contendat, certe Sede ſua deturbatus Antiſtes eſſe non potuit niſi Benvenutus, qui tunc temporis, imo ab anno, ut mox conſtabit, 1319. illam implebat. Res attamen haud difficile componi poſset, ſi ea conſiſtant, quæ nuperrimus Annalium Feretranorum ſcriptor, ut caſu novimus, habet. Is namque cauſam aliam exauctorationis refert, & ad alium annum. Putat ergo Jacobum, eo quod Ghibellinis faveret, & Fraticellorum, ut nuncupabantur, adhæreret hæreſi Epiſcopatu privatum anno 1318, & in ejus locum ſuffectum fuiſſe Benvenutum. At cum nos lateat, ex quo hæc attigerit fonte, permittere cogimur ut apud eum fides ſit.

XVII. Igitur in locum vel vita functi Epiſcopi Uberti, vel ſi placeat exauctorati Jacobi ſuffectus fuit, prout ſinguli Catalogi habent, a Feretrano Capitulo per viam compromiſſionis *Benvenutus* ejusdem Eccleſiæ Canonicus, & Præpoſitus anno 1319, qui conſecrationis beneficium reportavit Avenione per manus Berengarii S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopi Hoſtienſis, ut patet ex Bulla Joannis Papæ XXII. data VI. Idus Janua-

nuarii, Pontificatus ſui anno 3. Romanum eumdem Pontificem facultatem feciſſe Benvenuto Feretrano Epiſcopo, ut Caſtrum, & Arcem S. Marini Ariminenſibus venderet, ſemel ſupra, & iterum diximus; nihilominus Epiſtolam ipſam ad Romandiolæ Rectorem ſuper hoc, anno 1321. datam, ex Ughellio lubet tranſcribere, utpote ad id, quod mox dicturi ſumus, evincendum, aptiſſimam: *Accepimus nuper quod Federicus olim Comes de Monteſeretro Caſtrum, & Arcem Pennarum S. Marini Feretranæ Diæceſis ad Eccleſiam Feretranenſem ſpectantia, de quibus idem Federicus officialibus, & fidelibus noſtræ Provinciæ Romandiolæ guerram frequenter movere præſumpſit, dudum violenter invaſit, & adhuc retinet occupata. Cum igitur eadem Eccleſia Feretrana impotens ad Arcem, & Caſtrum prædicta recuperanda exiſtat, nec etiam illa poteſt, ſi recuperare contingeret, defenſare, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus &c. Dat. Avenione* 10. *Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno* 6. Siſtamus hic paululum ut Marini errorem Cronologiam Feretranorum Præſulum abrumpentem in aperto ponamus. Illud pro certo habet Marinius, poſt annum 1326. diu Eccleſiam Feretranam vacaſſe, nempe uſque ad annum 1350, quo intermedio tempore Nicolaum Federici Comitis Feltrii filium Nothum Epiſcopatum occupaverit; quo nomine tamen non Epiſcopium, ſed Cathedralem potius deſignari ſupra monuimus. At ſua eum fefellit opinio; nam Feretranam Eccleſiam per obitum, ſeu depoſitionem Benvenuti tandiu vacaſse, donec anno 1350. Clarus Peruzzius ſuffectus fuit, tam falſum eſt quam quod maxime. En monumenta in Archivio Confraternitatis B. Mariæ Virg. de Miſericordia Pinnæ ſervata, quibus luce meridiana clarius oſtenditur, Benvenutum uſque ſaltem ad annum 1347. eam ſedem retinuiſse. Cum tres Epiſcopi Romæ degentes, nempe Mannus Amerinenſis, Nicolaus Hoſtienſis, & Thomas Interamnenſis, inſtante Lancialotto, Indulgentias conceſſiſsent anno 1344. Hoſpitali S.

Mariæ

Digitized by Google

Mariæ Pinnæ Billorum, robur ullum, niſi accedente conſenſu Ordinarii non habituras, aſſenſum præbuit Benvenutus, ut ex Autographo patet his verbis concepto: *Nos Benvenutus miſeratione divina Epiſcopus Feretranus, vivis Indulgentiis ſuperius conceſſis a Vener. Patribus ſuprascriptis, ipſas acceptamus, & approbamus. Dat. in S. Marino* 1345. *Indic. XIII. die* XI. *Maii*. Vivens igitur adhuc Benvenutus eo anno Feretranam ſuam ſedem retinebat. Retinuiſſe quinimo, & biennio poſt, evincunt dubio quocunque ſubmoto, bina alia ipſius Decreta in ſupradicto Archivio recondita; quorum primo dato in S. Marino die 27. Maii 1347. facultatem facit memorato Lancialotto erigendi in Hoſpitalem Domum S. Mariæ, Oratorium, in quo, per quemcunque ipſe voluerit, Sacerdotem ſacra peragi poſſent; altero vero dato ibidem die 27. Auguſti ejusdem anni, declarat ſe Altare quodam de ligno Nucis portatile, ad petitionem Lancialotti ipſius, conſecraſse, & Indulgentias pro certis diebus fuiſſe elargitum. Abludit ergo omnino a vero quod ab Epiſcopali Sede depoſitus fuerit Benvenutus circa annum 1326, & quod uſque ad 1350. Vidua ſine ullo Sponſo Eccleſia manſerit Feretrana.

VIII. Quam moriens tandem vacuam reapſe reliquerat Benvenutus, implevit immediate Feretranam ſedem *Clarus Peruzzius* Simonis filius nobilis Florentinus, hujus nominis inter Feretranos ſecundus, ſi enumerandus eſset Clarus alter Minorita, de quo ſupra diximus, a ſolo Ughellio, Robertum inter, & Rolandum, Diis fortaſse invitis, collocatus. Clarus hic de Peruzziis fuit electus Epiſcopus, non quidem anno 1344, ut Oliverius ſignavit (vixit ſiquidem ſaltem uſque ad 1347. Benvenutus, ut probavimus) ſed anno potius 1350, 12. Kal. Februarii, ut ex Vaticano Regeſto fol. 75. ſe deprehendiſse ſcribit Ughellius. Noſtro Prædicatorum Ordini nomen dediſse Peruzzium ſcripſere Oliverius Pinnenſis, Anaſtaſius quidam Leontinus, Socii

cii Conticillus, & Maſtinius, nec non Laurentinius; cum Ughellius e contra ipſum Florentinum potius Canonicum dicat. Utinam in ſuæ aſsertionis confirmationem Teſtem aliquem, aut fide dignum monumentum aliquod produxiſsent, quo hunc Ordini noſtro Epiſcopum vindicare poſsemus; quod cum non præſtiterint, res dubietate omni plena remanet. Inſtrumentum in Archivio Pinnenſi cuſtoditum vidimus datum die 14. Auguſti 1372, quo Fratribus Auguſtinianis Eccleſiam S. Chriſtophori de Pinna concedit, & ne verbum quidem reperimus, unde ex Ordine aliquo regulari aſsumptum Peruzzium, ſignificetur. Inſuper Scriptores noſtri, quos inter Reverendiſſimus Pater F. Antonius Bremond, actu Ordinis noſtri Generalis Magiſter, in Bullario paucis ab hinc annis juris publici facto, in quo Præſulum noſtrorum plena conſpicitur ſeries, Clarum Peruzzium non recenſuere. Tandem Scipio Ammiratus, quo Ughellius utitur teſte, Hiſtoriæ Florentinæ lib. 10. refert Rempublicam Florentinam Legatis ſuis in mandatis dediſse, ut enixis precibus Pontifici commendarent Fratrem Remigium Epiſcopum Comaclenſem, Fratrem Lotterium de Vellutis Heremitanum, & Clarum de Peruzziis Epiſcopum Feretranum, cui tum Comites Urbinates, tum Nereus de Fajola ſæpe moleſtias creabant; inſtantes ut dictos Epiſcopos ad alias Eccleſias transferre, Fratrem vero Lotterium Epiſcopalibus Infulis alicubi induere dignaretur. Hinc nemo, puto, non deducet Clarum Peruzzium nulli Ordini addictum fuiſse, alias Ammiratus ſicuti Fratrem appellat, nedum Lotterium Heremitanum, verum & Epiſcopum Comaclenſem Remigium, ſic profecto Fratrem Clarum, dixiſset, Epiſcopum Feretranum, ſi Ordini alicui regulari nomen dediſset. Rem itaque adhuc ſub Judice relinquere cogimur; id unum pro certo habentes, Clarum Peruzzium Epiſcopum fuiſse eruditiſſimum, ut omnes fatentur, & magnæ

exi-

exiſtimationis Virum, non ſolum ob generis claritatem (verba ſunt Ughellii) ſed ob ſingulares animi dotes; apud Ludovicum Regem Neapolitanorum anno 1352, ut Ammiratus refert, pro Republica Florentina legatione functum, & iterum apud Anichinum Cæſarianorum Ductorem anno 1364, hoſtiliter Hetruriam impetentem, ut ſcribunt alii. Privilegium, pro Cænobii ædificatione Fratribus S. Franciſci Conventualibus, in Maceratæ Feltriæ Oppido, per Clarum Peruzzium ſub die 16. Aprilis 1366 conceſsum, ſervant ipſi. Longævam fuiſse, putant omnes, hujus Antiſtitis vitam, & vere ſuperſtitem fuiſse anno ſaltem 1371. evincit, alibi memorata Deſcriptio Romandiolæ eo anno facta per Cardinalem Anglicum Albanenſem Epiſcopum in qua legitur: *Caſtrum Montis Cerignonii ..... in quo eſt Rocca fortis, ad cujus cuſtodiam moratur unus Caſtellanus cum duobus Famulis; pro D. Claro Epiſcopo Feretrano*. Imo, & ſuperſtitem anno 1372. evincit, mox indicatum Inſtrumentum conceſſionis factæ Heremitanis S. Auguſtini Fratribus Eccleſiæ S. Chriſtophori. Mortem ejus anno 1376 contigiſse, ſuſpicatur Marinius, at verius dicam, latet nos adhuc emortualis hujus Præſulis annus, de quo nihil Rubeus loco, ab ipſo Marinio, indicato. Id unum tamen ex his inferendum irritas fuiſse Florentinorum Legatorum preces Papæ porrectas anno 1351, quem ſignat Ammiratus, ut Clarum Peruzzium alia in Sede Epiſcopali collocare vellet; cum ſaltem ad annum uſque 1372. in Feretrana conſtitiſse, ſatis probent, quæ dedimus monumenta.

Hiſtor. Raven. Lib. 6. pag. 486.

XIX. Vix e mortali hac luce migraverat, aut ne migraverat quidem adhuc Clarus, cum vita functo Gregorio Papa XI, dirum, diuturnumve Schiſma Romanæ Eccleſiæ unitatem diſcidit, Romæ electo legitime, & conſecrato die 18. Aprilis 1378. Urbano VI; & Fundis conſtituto die 20. Septembris ejusdem anni Pſeudopontifice Clemente VII. Ex hac inconſutilis Chri-

ſti

Digitized by Google

ſti Domini veſtis dira ſciſſione, ſingularium quoque Eccleſiarum turbata pax fuit, deordinatæ res, jura violata. Hinc factum quoque fuiſſe, putat Marinius, ut per aliquot, ab obitu Clari Peruzzii, annos viduata Paſtore fuerit Eccleſia Feretrana, cum nullus in Catalogis occurrat Præſul ante annum 1388, quo binos recepit: *Pinnum* ſcilicet ab Urbano Papa VI. conſtitutum Eccleſiæ hujus Commendatarium, & *Lucam* a Pſeudopontifice Clemente VII. Pſeudoepiſcopum ordinatum. At Lucas, qui teſte Ughellio, die 1. ineuntis Septembris ſolitum ſervitium ſe perſoluturum promiſerat Cardinalium Collegio Avenione exiſtenti, ibidem deceſſit, nec fines Eccleſiæ Feretranæ unquam intravit, ſed nec Feretranæ Sponſæ, quam curæ ipſius Urbanus Papa commendaverat, vultum unquam aſpexiſſe Pinnum Romæ degentem, ſuſpicatur Marinius.

XX. In tanta divinarum, humarumque rerum, cauſa ſchiſmatis, perturbatione, ni felix omnino fuerit, attamen nec gravia admodum ſenſit incommoda Feretrana hæc Eccleſia; ſuos enim indeſinenter habuit legitimos Præſules, uno excepto Pſeudoepiſcopo Luca, qui tamen, ut diximus, cum limen Diæceſeos pede nec quidem tetigerit, magnam legitimo Antiſtiti moleſtiam creare non potuit. Poſt enimvero Pinnum Eccleſiæ hujus Commendatarium, electus illico fuit *Benedictus* circa annum 1390. Monaſticam vitam profeſſum in Cænobio Montis Cæſenæ, imo & Abbatem ejusdem Monaſterii ipſum fuiſſe, tradunt aliqui; virum vero extitiſſe adminiſtrandis rebus idoneum, pertractandis, expediendiſque negotiis aptiſſimum, ex eo colligi poteſt, quod primum Vicarius fuerit Patrimonii S. Petri, dein Theſaurarius Generalis S. R. E. Provinciarumque Romandiolæ, & Maſſæ Trebariæ pro D. Papa in ſpiritualibus Rector, nec non Ducatus Spoletani, teſte Cl. Hippolyto a Turre Feretranarum antiquitatum perſcrutatore peritiſſimo. Colligi hoc idem

Digitized by Google

poteſt, ex eo quod Bonifacius Papa IX. ſedandis, & jam in immenſum exardeſcentibus diſſidiis, & Romanæ Eccleſiæ juribus vindicandis in Caſtro S. Marini, Benedictum delegerit, & plena ei facta tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus facultate, Rectorem deſtinarit, ut ex duplici Brevi, in Appendice exhibendo, liquido apparet. Concreditæ ſibi a Domino vineæ de ubertate ſollicitum, novos, pluresve Cultores adhibuiſſe Benedictum Auguſtinianos Fratres in Parochiali Eccleſia S. Chriſtophori de Pinna, collocando, ſcribunt ex Inſtrumento in Archivio Conventus ſervato, jurati Socii Conticillus, & Maſtinius; quod nos ab anno uſque 1372. peractum fuiſſe per Clarum Peruzzium, ex alio Diplomate in Archivio Epiſcopali cuſtodito, aſſeruimus. At collatis mutuo Inſtrumentis, & verbis perpenſis, res omnis componitur, & quaſi digito veritas deſignatur. Dono conceſſa, quidem primo fuerat Eccleſia illa Heremitanis Fratribus ſub Claro Peruzzio anno 1372, at reſervati fuerant reditus D. Antonio Vanni actuali ipſius Parochiæ Rectori uſquedum viveret. Translato autem poſtea anno 1391. dicto Præsbitero ad Parochialem Eccleſiam Montis Cerignonii, Benedictus tunc temporis Feretranus Epiſcopus, de ſui conſenſu Capituli, per aliud Inſtrumentum a Conticillo, & Maſtinio adhibitum, bona quæcunque, & jam vacantes reditus ejusdem S. Chriſtophori Eccleſiæ, Fratribus ibidem præexiſtentibus aſſignavit, tradiditque. Subditorum præterea, & præſertim Pinnenſium ſaluti plurimum intentus Benedictus, Sodalitium ſub nuncupatione B. Mariæ de Miſericordia inſtituit anno 1396. in Eccleſia Hoſpitalis Pinnæ, ut retro diximus, per Lancialottum, erecti. At fallax profecto hominum gratia. Poſt tot collata ſpiritualia ſubſidia, quæ certa prædilectionis videbantur eſſe argumenta, acre adeo Epiſcopum inter, & Oppidorum Pinnæ, & Billorum Habitatores diſſidium exarſit, ut amore in odium con-
ver-

verſo, nihil intentatum Benedictus reliquerit, quo malum iis Univerſitatibus poſſet inferri. Auctoritativas manus rei adhibuere Romani Pontifices Innocentius VII, & Gregorius XII, ut ajunt Conticillus, Maſtinius, & alii (contentionum tamen originem ſilentio obvolvolventes) & quidem Innocentius ſub privationis, & excomunicationis pæna Benedicto prohibuit ullam iis Hominibus, aut Locis moleſtiam creare, quinimo Univerſitates illas ab Epiſcopi jurisdictione exemptas in tutelam tradidit Carolo de Malateſtis Arimini, ut vocabant, Domicello; & mortuo Innocentio, Gregorius XII. ejusdem ſucceſſor, dictorum locorum Tutorem conſtituit Bandinum Comitem de Carpineo. Gregorii Breve datum putant 3. Kal. Januarii anno 1406, at error eſt; ſiquidem eo anno vivebat adhuc Innocentius VII, qui die dumtaxat 6. Novembris Petri Cathedram Gregorio XII. conſcendam, moriens reliquit. Hinc tamen ſuſpicetur nemo exauctoratum per hæc fuiſſe Benedictum; ex pluribus enim conſtat ſuam ipſi, quoad reliqua, intactam fuiſſe auctoritatem ſervatam; imo extenſam dignitatem, facultatemve. Sane ſequenti anno 1407. ab eodem Gregorio, Piceni Marchio, & Rector fuit renunciatus, teſte Pompeo Campagnono in ſua *Regia Picena*, binas Epiſcopi Benedicti Epiſtolas referente, eo anno datas, unam e Monte Cauſario Marchiæ Oppido, quod obſidione cinxerat, alteram e Civitate Nova. Inſuper anno 1408. die 10. Septembris Statuta Caſtri Maceani confirmavit, ſive ut Maſſæ Trebariæ, ad quam Pinna, & Maceanum ſpectabant, Rector, ut aliqui ſentiunt, ſive potius ut Comes, & Dominus ejusdem Caſtri, prout alii contendunt, & ea quæ alibi dedimus, ſatis evincunt. Aniles autem reapſe fabellas, quas de Benedicto Feretrano Præſulæ enarrat Marinius, quæque argumentum noſtrum minime ſpectant, nec vacat referre, nec refellere lubet; id jam ſatis, ſuperque præſtitit,

Lib. 6. pag. 282.

Digitized by Google

tit, pluries memoratus Petrus Antonius Calvi in ſuis ad Pſeudo-Apologeticon Feretranum reſponſionibus.

XXI. Feretranorum Præſulum contexta ſerie pervenimus tandem ad Epiſcopum *Joannem* nomine, Patria reapſe Ariminenſem, & Ordinis Minorum Alumnum. Is fuit in ea ſede hujus nominis quartus, cujus vix Familiam deprehendes ſi tot, variaque ei tributa agnomina attendas. *Erat Familia Secanius* ait Wadingus ad annum 1424, cui conſentit Ughellius. *Frater Joannes de Sclaniis* legitur in vetuſta inſcriptione Eccleſiæ vulgo *La Cella* in Caſtro Talamelli, ab ipſo, ut putant conſtructæ. *Joannes de Mercatantibus antiquitus de Sclaniis* habet Cronicon Ariminenſe a Cl. Muratorio editum, nec non Clementinius, & ex ipſo Marinius. *Joannem* tandem *de Malateſtis* appellarunt Conticillus, & Oliverius, a quibus non nimium abſcedit Laurentinius, ipſum dicens: *Serſaneum, ſeu de Malateſtis*. Hunc F. Joannem, ex quacunque tandem Familia fuerit, certe patria Ariminenſem, nonniſi anno labente 1417. ex S. Franciſci Ordine ad Inſulas aſſumptum fuiſſe, tenendum eſſet, ſi fides adhibenda foret Marinio enarranti: Carolum Malateſtam Arimini Domicellum Gregorii XII. nomine in Conſtantienſi Concilio, Pontificatui ceſſiſſe, plurimumque ſollicitudine ſua contuliſſe, ut Martinus V, toto plaudente Chriſtiano Orbe, ſummus Pontifex renunciaretur; a quo novo Pontifice, primis ipſis diebus plura extorſit; inter quæ ut Feretranus Epiſcopatus, ſibi confidenti, ſubditoque viro conferretur, Fratri ſcilicet Joanni, quo cum, ordinato Epiſcopo Conſtantia diſceſſit 1417. At hæc ad fabulas juremerito amandat Calvius; Marinium irridens, quod Librum Sextum Bullarum Martini V. citaverit, & Clementinium teſtem adduxerit. Profecto, ait ille, ne ſi integras quidem primas illas noctes, dieſque labore nunquam intermiſſo Pontificii Notarii in Bullis conficiendis, expediendiſque inſumpſiſſent, non eo tamen excre-

creviſset opus, ut jam Sexto libro in regerendis indigerent. Litteræ igitur Martini V, quibus Carolo Malateſtæ inſigne benevolentiæ ſuæ argumentum exhibet, non primis quidem Pontificatus ſui diebus expeditæ fuerunt, ſed anno tertio, nempe 1420. Jurejurando præterea teſtatur Calvius ipſe, Clementinii narrationem toto cælo a Mariniana diſtare; habet ſiquidem Clementinius: quod die 4. Julii 1415, quo habita fuit quartadecima Concilii Conſtantienſis Seſſio, Carolus Malateſta nomine Gregorii XII. Papatui ceſſit, & in ſubſequenti ſeſſione, die 11. ejusdem menſis, & anni habita, facta fuit facultas Epiſcopis a Sacra Synodo ad proprias Eccleſias redeundi, ſi id neceſſitas aliqua popoſciſset. Data ſibi licentia uſi ſunt, teſte Rubeo, Hiſt. Ra-
Epiſcopi Montisferetri, & Bertinorii, illico Conſtan- ven. lib.
tia digreſſi, cum Carolo ipſo Malateſta, qui inſequen- 7. ad an. num 1415
ti anno 1416. arma contulit cum Braccio, a quo, cum male ei ceſſiſſet Martis alea, captivus detentus, tandem labente menſe Martio anni 1417. ab Uxore prætio redemptus, & menſe Aprili ingreſſus Ariminum, Portum juſſit inſtaurari, quod opus die 12. Novembris eo præſente, ſumptuſque miniſtrante, incæptum eſt. Quis quæſo hæc a Clementinio, & Rubeo tradita cum Marinianis adinventis componat? Quo quæſo fieri pacto potuit, ut Carolus Malateſta primis Pontificatus diebus a Martino Papa V. Epiſcopatum Feretranum pro Fratre Joanne de Seclaniis ſibi addictiſſimo obtinuerit, ſi quartus jam elapſus erat menſis ultra biennium ante Martini electionem, ex quo Carolus Conſtantia diſceſſerat? Volitans fortaſſe per aera Carolus ipſe iter peregerat, ut die 11. Novembris anni 1417, quo Martinus V. Pontifex fuit renunciatus, Conſtantiæ eſſe poſſet, & die immediate ſequenti, nempe 12. ejusdem menſis, & anni eſſet Arimini, ubi eo jubente, & ſpectante cæmentum, primoſque lapides ad inſtaurandum Portum, Epiſcopus ſolemni ritu

bene-

benedicebat? Oppido igitur falſum eſt F. Joannem Epiſcopatum duntaxat poſt Martini Papæ electionem, conſequenter declinante anno 1417. Carolo Malateſta procurante, & extorquente obtinuiſſe. Saltem quadriennio ante Epiſcopatum gerebat ille, ut certo novimus, ex eo quod anno 1413. iterum confirmavit Indulgentias per tres Epiſcopos Romæ degentes conceſſas Hoſpitali S. Mariæ Pinnæ Billorum, quod ante Benvenutus etiam præſtiterat, ut ſupra, de eo dicentes, notavimus, monumentum in Archivio Confraternitatis ſervatum indicantes. Conſtitutum fuiſſe hunc Epiſcopum Patrimonii S. Petri Rectorem ab ipſo Martino V. anno 1422. ſcribit Ughellius; num vero id ei muneris concreditum fuerit procurante, & adnitente Carolo Malateſta, ut Marinius contendit, fides apud ipſum ſit. Plura reliquit Feretranus hic Præſul largitatis, & magnificentiæ ſuæ monumenta; nam Eccleſiæ S. Franciſci cujus Ordini olim nomen dederat, in Ariminenſi patria ſua Civitate, argenteum Calicem donavit, cui hæc inſcriptio: *Ad honorem Dei, & B. Mariæ Virginis. Hunc calicem fieri fecit R. in Chriſto Pater D. Joannes de Arimino Ordinis Fr. Minorum Dei gratia Epiſcopus Feretranus, pro ſalute ſua, & anima Sororis ſuæ Agneziæ, ſub anno Domini MCCCCXXIIII. de Menſe Julio*. Satis inſuper amplas Ædes extruſſit ad modum munitæ Arcis, non quidem in ipſo Talamelli Caſtro, ut primus inibi reſideret, quod falſo ſcribit Marinius, ſed procul ab eo loco ad mille paſſus, ut aſſerit Clementinius, ad montis, nempe, Perticariæ radices, ut ibi ruſticaretur; ſaltem enim ab anno 1371. extabant in Talamelli Caſtro Epiſcopales Ædes, ibique Feretranus Epiſcopus Clarus Peruzzius, Succeſſoreſve illius morabantur, ut pluribus ſupra demonſtravimus. Parvam tandem Eccleſiam vulgo dictam *La Cella* in ipſo Talamelli ſuburbio Deo, in honorem Deiparæ, dicatam juſſu, & ſumptibus ejuſdem Epiſcopi a fundamentis excitatam fuiſſe, pluri-

ri-

rimiſque tum veteris, cum novi Teſtamenti figuris ornatam, communis fert, conſtanſque traditio, quam Clementinius ultro adoptavit. Sane Epiſcopi Joannis Seclanii Stemma penicillo expreſsum in interiori Eccleſiolæ pariete conſpicitur, legiturque per girum vetuſta inſcriptio, cujus ni dimidium injuria temporis periiſset, in tuto veritas eſset. Incipiendo enim a Cornu Epiſtolæ hæc leguntur: *In Chriſto Pater, & Dominus F. Joannes de Selaniis de Arimino Ordinis Fratrum Minorum Sacræ Theologiæ Profeſſor, nec non Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Feretranus, ut anno Domini Milleſimo .... ad Deum devotas fundere preces. Amen. Antonius de Ferraria habitator Urbini pinxit. Sit laus Deo in ſæculorum ſæcula. Amen*. Saltem Altare hujus Eccleſiæ ab eo Epiſcopo fuiſse conſecratum, pro certo haberi debet ab intuentibus inſcreptionem ejusdem Sacræ Aræ in lapidea menſa Gothicis, ut vocant characteribus ſculptam, quæ ſic habet: *Conſecratum fuit iſtud Altare cum majeſtate per R. P. V. Epiſcopum Feretranum Dominica prima Julii* 1437; quo certe anno Epiſcopus Seclanius inter vivos degebat adhuc; diem enim ſupremum clauſit anno 1444, ut omnes conſentiunt, emortualem duntaxat diem, locumque ſepulchri in dubium revocantes. Marinius, errorem reputat Clementinii ſcribentis Joannem Seclanium obiiſſe die 28. Septembris, ex quodam enim Cronico ſibi compertum eſse, ait, die potius 28. Auguſti e vivis dictum Præſulem receſſiſse. At nos libentius Clementinii ſententiæ adhæremus, cui & adhæſit Ughellius; cum teſtem habeamus Cronicon Ariminenſe a Cl. Muratorio editum, per Anonymum certe coævum Auctorem lucubratum, quive res de die in diem enarrat: En Italica Cronici verba: *A dì XXVIII. di detto meſe* (nempe Septembris) *a ora di Veſpro morì Maeſtro Giovanni delli Mercadanti Veſcovo di Monteſeltro, e fu ſeppellito a Sant' Agoſtino a Talamello, cujus anima requieſcat in pace*. Quibus verbis locum etiam ſepulturæ ejusdem deſignat, quod

Rer. Italica. Tom. XV.

quod & Clementinius præſtitit dicens: *Volle eſſer ſeppellito nella Chieſa di Sant' Agoſtino di detto luogo*: nempe Talamelli; dum alii e contra ſuſpicabantur cadaver ipſius vel Arimini terræ mandatum, ex eo quod ſcribat Ughellius, inibi eum deceſſiſse; vel ſepulchro traditum in cellæ Eccleſia ab ipſo conſtructa, vel ejus Atrio.

XXII. Eo ipſiſſimo annò 1444, quo Feretranas Infulas, moriens F. Joannes exuerat, induit annuente Eugenio Papa IV. *Franciſcus Angelus de Clarevalentibus*, ſeu, ut alii ſcribunt, *de Clarevallenſibus*, Nobilis Tudertinus, quem nobilitate Parentum, & propria virtute illuſtrem fuiſse, de eoque mentionem in Actibus Conſiſtorialibus occurrere, teſtatur Ughellius. Annum, diemque, quo ipſi concreditam adiit Eccleſiam Franciſcus Angelus, indigitavit ſupra laudatum Ariminenſe Cronicon, per hæc præciſa verba: *MCCCCXLV. a dì XXIV. di Gennajo entrò in poſſeſſione Miſſier Franceſco di Chiarevelliſe da Todi del Veſcovado di Monteſeltro, il quale è Dottore in utroque jure*. A vero hinc penitus receſſiſse deprehendas Danielem Papebrochium, Virum alioquin doctiſſimum, dum ad diem 1. Maii, de quadam S. Athanaſii vita, in Senenſi Bibliotheca ſervata, diſserens, quam Auctor Anonymus obtinuiſse refert a Theodoro Feltrenſium Epiſcopo, hæc habet: *Cum in toto Feretranorum Catalogo nullum* (Theodorum) *reperiamus, vide num hic non poſſit interponi inter Joannem de Arimino, cujus pro anno* 1424. *extat memoria ſervata in calice tunc per ipſum oblato, & Franciſcum Angelum de Claravallibus anno* 1444. *ad Cathedram illam admotum*. Præterquamquod enim inter Joannem Ariminenſem, qui vigeſimo duntaxat ab oblato Calice anno, nempe 1444. jam labente e vivis exceſſit, & Franciſcum Angelum, qui immediate ſequenti 1445. ineunte Cathedram illam conſcendit, fruſtra Epiſcopo alteri locum quæritur; Nil profecto mirum quod integram Feretranorum Præſulum ſeriem percurrenti Papebrochio, Feltrenſis Epiſcopus Theodo-
rus

rus minime occurrerit. Cui quæſo ignorare liceat; aliam eſſe Feltriam Civitatem in Marchia Tarviſina Venetæ Reipublicæ Dominium ſentientem, alium Montem feretrum Ducatus Urbinatis Provinciam Eccleſiæ ditioni ſubjectam; conſequenter alios Feltrenſes, alios vero Feretranos Epiſcopos eſse? Quem igitur irrito nonniſi conatu inter Feretranos Antiſtites quæſivit Theodorum, nullo profecto labore inter Feltrenſes reperiſſet, Bollandi Continuator Clariſſimus, Ughellio per hæc verba indigitante. *Theodorus Lelius, ſeu de Lellis nobili familia Interamnæ Apruntinæ natus juris prudentiſſimus Pii II. familiaris ...... ab ipſo fuit adlectus Feltrenſis Epiſcopus anno* 1462. ſive potius a Feltrenſi ad Tarviſinum Epiſcopatum translatus, ut notat Cl. Apoſtolus Zenus Bibl. Ital. Tom. 2. pag. 169. Ante annum 1449. ad Superos Franciſcum Angelum non evolaſse, evidentiſſime comprobatur ex Inſtrumento quodam eo anno celebrato inter Commune Talamelli, & dictum Epiſcopum ſuper quodam Molendino, quo ſupra uſi ſumus; nec ultra quinquennium commiſsum ſibi Gregem paviſse, teſtis eſt Ughellius, dum ſcribit anno 1450. morte fuiſse ſublatum.

XXIII. Franciſcum Angelum de Clarevallenſibus excepit *Jacobus Theobaldus* Romanus ex Oppido Collis Scipionis oriundus, Juris utriuſque Doctor, creatus hujus Diæceſis Epiſcopus Non. Junii, ejusdem Prædeceſsoris ſui emortualis, anni 1450. Hic ſub Callixto Papa III. Ducatus Spoletani Præſes fuit, mox Umbriæ, & Peruſiæ Legatus, ſeu ut Catalogi habent, Prolegatus; tandem 14. Kal. Januarii 1456. ab eodem Pontifice Præsbiter Cardinalis renuntiatus titulo S. Anaſtaſiæ; proptereaque dictus: Cardinalis Feretranus. Vix purpuram induerat Theobaldus cum Feretranas Inſulas exuit, ut Conticillus, Laurentinius, & Oliverius teſtantur. Hinc craſsum deprehendes errorem Marinii aſserentis: ſexdecim prope annis Feretranæ Eccleſiæ

R præ-

præfuiſse Jacobum Theobaldum . Tot quidem ſunt ſi a ſuſcepto Epiſcopatu ad obitum uſque ſupputentur anni; at cnm vix aſſumpta Purpura Epiſcopatui Feretrano nuncium remiſerit , liquido conſtat tantummodo circa ſexennium Præſulatum illum geſſiſſe . Hoc vel invitus, fateri tenebitur ipſe Marinius; alias nullus ſupereſſet locus tribus Epiſcopis Theobaldi ſucceſſoribus, Andreæ , Corrado , Jacobo ; quos tamen a Feretrana ſede non repellit Marinius ; qui imo male ſibi conſtans, paucis interjectis verbis, pronunciat Andream , & Corradum anno 1458. mortales eſſe deſiiſſe , & Jacobo eodem anno electo , & poſt paucos menſes defuncto , ſucceſſiſſe Adimarium anno 1459. Quo quæſo pacto hæc componi poſſunt , quæ eodem Apologetici capite octavo , quinimo ſub eodem octavo numero , verbi ſui immemor ſcribit ille? Si ſexdecim annis, conſequenter uſque ad 1466, vitæ ſuæ ultimum , Epiſcopatum tenuit Theobaldus , nullus , ut iterum dicam , in Feretrana Cathedra locus Andreæ, Corrado, Jacobo; nullus nec Adimario , niſi eo vita functo. Vitam autem commutaſſe cum morte Theobaldum die 4. Septembris 1466. patet ex ſequenti Epitaphio ad ejus ſepulchrum , in Eccleſia noſtra S. Mariæ ſuper Minervam , appoſito.

Qui fuit Urbis honos generoſa prole Theobaldus
Frigida marmoreo Jacobus tenet oſſa ſepulchro.
Cæſareas norat leges, Montiſque Feretri
Præſul erat, nullique fide, & pietate ſecundus.
Pauperiem tollebat humo, clariſque favebat
Ingeniis, juſtique Pater, moderator & æqui.
Cujus virtutem admirans, animumque pudicum
Cardineo Divus decoravit honore Caliſtus.

qui obiit Anno Chriſti MCDLXVI. die IV. Septembris, hora decima ſexta.

XXIV. Epiſcopatum Feretranum , quem dignitate Cardinalitia donatus Theobaldus, ſponte dimiſerit, imme-

mediate obtinuit *Andreas*, quem Laurentinius omiſit, & cujus Socii Conticillus, & Maſtinius vix nomen indicant Ughellium ſecuti. Hic fallitur tamen, dum ait: Andream electum fuiſſe 5. Non. Novembris 1454; cum enim Feretranam ſedem impleverit, quam Theobaldus factus Cardinalis vacuatam reliquerat; & ille duntaxat XIV. Kal. Januarii 1456. ſacro fuerit adſcriptus Collegio, jam ſponte fluit Andream in ea Epiſcopali ſede collocari non potuiſſe, ante annum prædictum 1456, quam conſequenter circa biennium tenuit, cum anno 1458, teſte Ughellio e vivis abſceſſerit.

XXV. Omnes Catalogi, uno excepto Oliveriano, quem diminutum jam eſſe initio diximus, Feretranos inter Epiſcopos poſt Andream locum conceſſere *Corrado Marcellino* Romano, S. Mariæ in via lata Canonico, & Priori, ad Infulas aſſumpto mox memorato anno 1458. Unus Laurentinius, qui Andream immediatum Theobaldi ſucceſſorem ignoravit, illius loco reponit Corradum, putavitque ex conſequenti anno 1456. electum fuiſse. At ſervato ſemel Andreæ proprio loco, & ſuppoſito quod Corradus die 6. Octobris 1458. ad Taracinenſem Eccleſiam translatus fuerit a Pio Papa II, ut ſcribit Ughellius, fit inde, ut prioris hujuſce ſponſæ ſuæ aut vix, aut nunquam vultum conſpexerit, cum anno eodem, & renunciatus fuerit Epiſcopus Feretranus, & datus Taracinenſibus; quibus morte ſublatus fuit anno 1490, ſepultuſque Romæ in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum.

XXVI. Vacuatam iterum tam brevi temporis ſpacio Feretranam Eccleſiam per Corradi Marcellini translationem ad Taracinenſem, eo nondum elapſo anno 1458. impletam fuiſse translatione altera *Jacobi* Folliarum Epiſcopi ad hanc moderandam evocati die 27. Octobris, ſcribit Ughellius. At quænam fuerit hæc Folliarum Eccleſia, a qua ejus Epiſcopus Jacobus ad Feretranam fuerit translatus, ut ingenue fateamur, nos latet.

latet . Intra ſaltem Italiæ fines dictum Epiſcopatum non reperiri , teſtis eſse debet Ughellius ipſe , qui in ſua *Italia Sacra*, nec inter exiſtentes, nec inter ſuppreſſos ejusdem meminit. Sed nec etiam extra Italiam Civitatem aliquam Epiſcopalem hujuſce nominis, fortaſſe unquam reperire erit , ſi Geographi conſulantur . Occurret equidem apud Braudrand , & alios Oppidum quodam Italiæ *Foggia* nuncupatum in Regno Neapolitano , & in Provincia Capitanata, ſolo, quod ibi ſolvitur, tributo, celebre, vulgo : *la Dogana di Foggia* ; at hoc , quod veluti obſcuri nominis locum , Geographi alii præteriere, Oppidum eſt non vero Civitas Epiſcopalis. Hinc, ſi divinare fas ſit, opinandum potius Jacobum Follienſem ortu fuiſse, non Epiſcopatu, ad quod munus in Feretrana Sede primo obeundum electum fuiſse , non translatum . Hic quoque , ut Præceſsor , vix ſibi commiſsæ Eccleſiæ ſuſceperat regimen (ſi forte ſuſcepit unquam) cum illud dimittere inopinata mors juſſit, quam poſt paucos menſes ſubiit, ut omnes teſtantur; fuitque hujus nominis in hac ſede ſecundus.

XXVII. Tribus immediatis Feretranis Epiſcopis, aut celeri morte, aut immatura translatione ſublatis, patuit in ea Sede locus: *Roberto Adimario* Nobili Florentino , quem Ughellius , cæterique poſt ipſum , eumdem eſse putat, qui ab anno uſque 1435. die 16. Novembris Epiſcopus Volterranus fuerat renunciatus, & vix in eo munere tranſacto quinquennio paſtoralem curam abdicaverat , anno ſcilicet 1440. Quæ ſi vera ſint, conſequens eſt, ut per novendecim annos ab Epiſcopali ſollicitudine quieverit Adimarius , priuſquam oneri, quod ſponte dimiſerat, ſeſe iterato ſubmitteret in Feretrana Sede die 26. Aprilis 1459. Certe Epiſcopatum Feretranum hoc tempore geſſiſse Robertum , quemdam Adimarium Florentinum , hujus nominis in ea ſede ſecundum, tot , eaque inconcuſsa , mox producenda, monumenta, evincunt, ut id vel in dubium

revo-

Digitized by Google

revocare inſcitia eſset. Vix commiſsæ ſibi novæ ſponſæ gubernium ſuſceperat Adimarius, cum eam & temporis, & hominum injuria, dote ſua admodum fraudatam cerneret, optavit, obtinuitque, ut perantiqua S. Anaſtaſii in Valle Abbatia, jam intra propriæ Diæceſeos ſinum collocata, Epiſcopali Menſæ pro ſe, & Succeſsoribus ſuis in perpetuum annecteretur. Cluniacenſis Ordinis fuiſse Monachos dictæ Abbatiæ Incolas, ſcribit Nicolaus Colletti in ſuis ad Ughellium additionibus, nullo tamen ad id comprobandum indigitato Inſtrumento. Nobis vero certo innotuit, Ordini S. Benedicti addictos fuiſse ex vetuſto monumento, quod perhumaniter, & opportune ſimul nobis communicavit antiquitatum Feretranarum ſedulus perſcrutator Hippolytus a Turre. In eo enim, enarrato diſſidio inter Olivetanos Monachos Ariminenſes, & Epiſcopum Feretranum, cuinam de jure ſpectaret poſseſſionem quorumdam bonorum conferre in diſtrictu S. Marini, & Montis Florentini exiſtentium, hæc ad intentum legimus: *Anno* 1306. *Indic. IV. Arimini tempore D. Clementis Papæ V. die* 3. *Julii. Religioſus Vir Donus Dopnus Naſonus Dei gratia Abbas Monaſterii S. Anaſtaſii Feretranæ Diæceſis Ordinis S. Benedicti &c.* Quo autem tempore ſublato Benedictinis eo Monaſterio, fuerit aliis commendatum, deduci poteſt ex Vetuſto Codice in Epiſcopali Archivio ſervato, in quo Canones Abbatiæ prædictæ ſolvendi recenſebantur. Id certe non fuit ante annum 1426. pagina enim 153. apparet die 15. Aprilis ejusdem anni D. Patrem Joannem Abbatem dicti Monaſterii, poſseſſionem innovaſse, ſeu confirmaſse quorumdam bonorum Communitati Montis Grimani. Sed nec quidem poſt annum 1457; pagina enim 154, conſimile legitur Inſtrumentum nomine Epiſcopi Callienſis, memoratæ Abbatiæ Adminiſtratoris eo anno confectum; & aliud ſequenti anno datum per hæc verba: *In Chriſti Nomine &c. Anno ab ejus nativitate* 1458. *Indic. VI. tempore D. in*

Cri-

Chriſto Patris, & Domini noſtri Pii, divina providentia Papæ II. die 26. *Menſis Decembris. Infraſcripti homines, & perſonæ, qui, vel quæ ſolverunt Ven. Viro D. Franciſco Stephani de Ugubio Sindico, & Procuratori R. in Chriſto Patris, & D. D. Simonis de Criſpinis de Peruſio, digniſſimi Epiſcopi Callienſis, nec non Commendatarii Abbatiæ S. Anaſtaſii de Valle Feretrana Diæceſis &c.* Item alia duo conſimilia Inſtrumenta, nomine ejusdem Callienſis Epiſcopi ſignata, quorum unum ad annum ſpectat 1459, aliud vero ad 1460. Hoc igitur Monaſterium, intra Diæceſim ſuam collocatum, quod uſque ad modo dictum annum commendatum habuerat Callienſis Epiſcopus, petiit, obtinuitque ſequenti anno 1461. pro ſe, & Succeſſoribus in perpetuum, Adimarius. Unum ex pluribus inibi recenſitis Inſtrumentis indicare juvat (præter aliud, quod ſupra dedimus ad evincendam Adimarii reſidentiam in Talamello) cujus hoc initium: *In Chriſti nomine. Anno a Nativitate ejusdem* 1461. *Indic.* 9. *die* 29. *Decembris. Infraſcripti Homines, ſolverunt Ven. & Religioſo Viro Fr. Laurentio Nicolai de Talamello Sindico, & Procuratori R. in Chriſto Patris, & D. Roberti de Adimariis de Florentia, digniſs. Epiſcopi Montisferetri, & Commendatarii perpetui Abbatiæ S. Anaſtaſii &c.* Palatium (quod nobile vocat Marinius) inibi conſtrui feciſſe Adimarium, paſſim aſſerunt Feretrani Scriptores; at nobis, qui quandiu fuimus apud nuper vita functum Antiſtitem, ſemel, & bis in anno ibi perreximus, tantam profecto ædium magnificentiam, aut Palatii formam mirari non licuit. Hinc nil aliud præſtitiſſe Adimarium deprehendimus, quam in veteri, ac pene diruto Monachorum Cænobio, congruam qualemcunque ſibimet habitationem inſtaurare. Circa Adimarii obitum, hæc Oliverius, teſte Conticillo, ſcripta reliquit: *De eo dicitur obiiſſe Robertum Adimarium de anno* 1463. *in Abbatia Vallis & ejus Succeſſorem fuiſſe Petrum Guadalottum de anno ſequenti* 1464. At multa preſto ſunt, quibus Oliverii detegatur error. In primis;

mis ; ex Libro Collationum Beneficiorum , quem in Archivio Epiſcopali pluries evolvere licuit , legimus Robertum Adimarium Epiſcopum Feretranum die 8. Martii 1470. Rectorem Eccleſiarum S. Andreæ de Aquaviva, & S. Joannis ſub Pinnis S. Marini, conſtituiſſe, quemdam Robertum ejusdem loci Præsbiterum ; imo die 1. Aprilis 1477. alia duo beneficia ſimplicia contuliſſe Ludovico de Caſtellina Præsbitero . Teſtem inſuper habemus omni exceptione majorem , nempe Berardum Philippi de Berardis a Monte Taxorum, ejusdem Epiſcopi Adimarii, dum viveret, Cancellarium , cujus Regeſta in Archivio Epiſcopali de Valle S. Anaſtaſii ſervabantur olim, ex quibus D. Patricius Cupers de Veruclo hæc ad verbum tranſcripſit : *Anno Domini* 1484. *a Pentecoſte per totum Novembrem nunquam pluit , & antequam plueret , Nix ex improviſo veniens multos oppreſſit . Deceſſit Sixtus IV. Creatus Innocentius VIII. Obiit Robertus de Adimariis Florentinus Epiſcopus Feretranus . Creatus Celſus Mellinus Romanus*. Patet tandem hic emortualis Adimarii annus ex Epitaphio ad ejusdem Sepulchrum appoſito in Abbatiali Eccleſia de Valle S. Anaſtaſii ; non quidem ante Altare majus, ut ſcribit Laurentinius, ſed in laterali ſacello dextro, ut nos ipſi , pluries conſpeximus , quod ſic habet : *Sepulchrum Roberti Adimarii de Florentia Epiſcopi Feretrani , qui obiit die* 11. *Octobris* 1484. Hinc apparet , Oliverium , unum ſupra viginti annos vitæ Roberti Adimarii detrahxiſſe, nullumque , evincitur pariter , aditum ad Feretranam hanc Sedem patuiſſe Petro Guadalotto , quem renunciatum falſo credidit ille , anno 1464 ; cum per viginti adhuc annos ſuperſtes fuerit ipſe Adimarius, & ipſo mortis ſuæ anno 1484. ei ſucceſſerit Celſus Mellinus.

XXVIII. Annum, quo vita jam functo Roberto Adidimario , Feretranam Sedem conſcendit *Celſus Mellinus*, certo jam novimus ex Berardo de Berardis Præceſſoris ſuis Cancellario ſcribente : *Anno* 1484. *obiit Robertus*

de

de Adimariis Florentinus Epiſcopus Feretranus ; Creatus Celſus Mellinus Romanus. Hinc aberraſſe deprehendimus Laurentinium , & Oliverium dicentes electum fuiſſe Celſum anno ſequenti 1485. Vaticanæ Baſilicæ de Urbe Canonicus erat, & utriuſque Signaturæ Referendarius Mellinus, cum ad Feretranas Inſulas ab Innocentio Papa VIII. aſſumptus fuit; & cum a Stephano Infeſſura in ſuo Romanæ Urbis Diario , per Cl. Muratorium edito , babeamus Joannem Mellinum Urbinatem Epiſcopum ad purpuram vocatum fuiſse die 17. Decembris 1476, patet conjecturæ locus, quod hic Cardinalis, noſtro Celſo ſibi ſanguine juncto Feretranam Mitram , & poſtea Lucæ Conſobrino ejus , facillime impetraverit . Annos quatuordecim in Epiſcopatu compleſse Celſum Mellinum ex eo indubitanter argumentamur, quod renunciatus fuerit poſt obitum Adimarii, conſequenter anno 1484. ad finem tendente (non die tamen 1. Octobris, ut ſcribit Ughellius, nam inter vivos ea die enumerabatur adhuc Adimarius, ut conſtitit ſupra ex Epitaphio), & e vivis non receſserit niſi vel poſtremis Octobris , vel primis Novembris diebus anni 1498. Enimvero, ex ſupra citato Collationum Beneficiorum Libro , apparere nos ipſi conſpeximus, pagina 25 ; quod die 22. Octobris modo notati anni , Rectores Eccleſiæ S. Marini , necnon S. Stephani de Maciano conſtituit. Quinimo labente etiam menſe Decembri inter vivos conſtitiſse adhuc , ex eo evincit Feretranus noviſſimus Annaliſta, quod die 26. Decembris 1498. Lucam Mellinum, de quo mox dicemus, Commiſsarium ſuum conſtituerit . Quæ ſi vera ſint , aut falſo ſcripſit Ughellius die 21. Novembris Feretranis Inſulis indutum fuiſse Lucam , aut dicendum vivente adhuc Celſo , & ſponte cedente , eas obtinuiſse . Novos, Eccleſiam hanc moderante Mellino , ad Feretranam vineam excolendam Operarios conduxit Dominus; Fratres nempe Prædicatores, quibus Eccleſiam B. Virgini

Rerum Italicarum Tom. 3. par. 2.

gini

gini ſacram, non longe ab Oppido Montis Cerignonii poſitam, Incolæ conceſsere. Enixis quippe eorum precibus inclinatus F. Joachimus Turrianus Ordinis Noſtri Generalis eo ævo Magiſter, illuc B. Dominicum Spataſoram Vicarium inſtitutum, & plena ei facta facultate direxit, qui ſub die 19. Martii 1493. a Sancto Gualterio Mellini Vicario, Eccleſiæ illius poſseſſionem obtinuit, & juxta eam Cænobium erexit; de quo ſatis diximus in Vita Beati Fundatoris, quam typis edidimus. Obiit Celſus Mellinus, Romæ, Ughellio teſte, ſepultuſque fuit apud S. Mariam de Populo, prope Fratres ſuos Joannem Baptiſtam Cardinalem Mellinum, & Franciſcum Epiſcopum Senogallienſem.

XXIX. Celſo Mellino, immediate in Epiſcopatu Feretrano ſucceſſiſse Paulum Paltronium Urbinatem ſolus ſenſerat olim, ſcriptoque tradiderat, Conticillo teſte, Oliverius. At cum certo, ex mododictis, certius ſit Celſum nonniſi poſt diem 22. Octobris, aut labente Decembri 1498. vitam cum morte commutaſse; & alias electionis *Lucæ Mellini* ſignet Ughellius, diem 21. Novembris dicti anni, ſit inde, ut nullus in Feretrana Sede locus ſuperſit Paulo Paltronio. Hinc ſentiendum potius, quod Celſi Conſobrini, & Præceſsoris ſui locum ſtatim impleverit Lucas pariter Mellinus, Patria Romanus, S. Mariæ in Via lata Canonicus, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regens, ut habent omnes Cronologi. Lucæ Mellini, qui (ſi ex Feretranorum Præſulum albo expungi debeat Pſeudoepiſcopus Lucas Clementis VII. Antipapæ ſectator, de quo ſupra diximus) primus hujus nominis dicendus erit; mentionem occurrere ad annum 1501. in Regeſto Cancellariæ Apoſtolicæ pagina 52. teſtis eſt Laurentinius; qui tamen in eo certe fallitur, quod vitæ Lucæ Mellini circa quinquennium detrahit, ſcribendo Antonium Craſtinum intra annum 1502. ei ſucceſſiſse. Errorem hunc, quem clauſis oculis epotaverat etiam Oliverius, fortunato dete-

 xi-

Digitized by Google

ximus evolventes memoratum Collationis Beneficiorum Librum ; nam pagina 4. legitur ipſum Lucam Mellinum Feretranum Epiſcopum die 30. Martii 1507. Eccleſiæ SS. Blaſii, & Donati de Tornano Rectorem dediſse. Hinc ſententiæ Ughellii, omni abdicata dubitatione adhærendum, qui ait Lucam mox memorato anno 1507. Romæ defunctum , & apud Conſanguineos ſuos, in Eccleſia S. Mariæ de Populo ſepulchro traditum, & id menſe Aprili, vel Majo, ut mox conſtabit.

XXX. Quam falſo Laurentinius , & Oliverius aſſeruerint *Antonium Craſtinum*, ſeu, ut alii dicunt, *de Caſtrino*, vel *Caſtrianis* Patria Saxoferratenſem anno 1502. Epiſcopalem Sedem defuncti Mellini obtinuiſſe , ex modo dictis jam conſtat. Cum enim habeamus Lucam Mellinum die 30. Martii 1507. viduatam SS. Blaſii , & Donati Eccleſiam de Paſtore providiſſe ; & ex eodem Libro conſtet , duobus vix elapſis menſibus , die nempe 16. Junii , & 13. Julii ejusdem anni ab Antonio Craſtino jam Feretrano Epiſcopo Parochos inſtitutos fuiſſe Sarthiani , & Caſtri S. Donati , conſequens eſt , ut intra illud bimeſtre Aprilem ſcilicet , & Majum Mellinus obiens vacuatam Sedem reliquerit , & electus Craſtinus illam impleverit. Inſignis erat Antonius Craſtinus , ut ait Ughellius, Philoſophus, ac Theologus, apud Cardinalem Alidoſium fuerat Aulæ Magiſter, Franciſci Roborei paulo ante Præceptor , Præfectus extiterat Senogalliæ , quo laudabiliter perfuncto munere viam ſibi ad altiora paraverat . Hinc Julius Papa II. die 30. Januarii 1506. eum Callienſibus Epiſcopum dedit, & quindecim circiter elapſis menſibus, tranſtulit ad Feretranos. Triennio in Epiſcopatu vixiſſe Antonium Craſtinum, aſſerit Ughellius, ſcribens die 11. Auguſti 1510. Arimini obiiſſe, cum eſſet tunc temporis Civitatis illius Gubernator. Ante completum ſaltem biennium, ut alii ſcripſere, non deceſſiſſe , compertum habemus, ex pluries citato Libro, in quo apparet

paret Parochiales Eccleſias S. Petri in Bariona, & S. Martini de Carpineo die 19. Auguſti anno 1509. ab eodem proviſas.

XXXI. Expuncto ſemel ex noſtrorum Præſulum ſerie Paulo Paltronio, quem unus, ut ſupra vidimus, Oliverius, Diis invitis, inter Feretranos Antiſtites enumeratum voluit, *Paulus de Alexandris* Urbinas Antonii Craſtini Succeſſor, primus hujus nominis dicendus eſt. Præpoſitus Urbinatis Eccleſiæ extiterat ille, nec non apud Lucam Mellinum in Epiſcopatu Feretrano Generalis Vicarius, cujus, poſt Craſtini obitum, ſedem obtinuit die 9. Octobris 1510, ut notat Ughellius. Et ſane ſequenti ſaltem anno ineunte jam Feretranam Eccleſiam moderabatur Paulus, enimvero die 23. Aprilis 1511. Parochiæ S. Matthæi de Sabiniano Rectorem dedit, ut ex memorato Collationis Beneficiorum Libro pagina 4. videre eſt. Sunt qui aſſerant, idque vetuſtis monumentis, quæ nobis videre non licuit, probari poſſe contendant Paulum Diæceſanam Synodum in Eccleſia S. Crucis Montis Cerignonii habendam, per Vicarium ſuum Generalem indixiſſe, quæ tamen, obortis difficultatibus, coacta non fuit. Duo inſuper eo Epiſcopatum gerente pro Monialibus erecta fuere Aſceteria, ac tertium pro Fratribus; ſiquidem Joannes Franciſcus ex Planiani Olivis Comitibus ſponte, ut referunt, Prioratum S. Antonii Abbatis de Macerata dimiſit, ut Cænobium, quod nunc Clariſſæ incolunt conſtrueretur. Certo autem certius eſt, & Joannem Lucium de Caſtro Billorum, Domum, reditus, omniaque ſua Monialibus Humiliatis, perpetua conceſſione donaſſe, die 1. Septembris 1518, ut inibi domicilium haberent. At de hoc Cænobio Pinnæ Billorum, in quo nunc ſub Regula D. Dominici famulatum Deo exhibent devotæ Mulieres, Hiſtoriolam dedimus, Urbini 1744. typis editam. Poſtremo ad hujus Præſulis ævum referenda primordia Conventus, quem tenent

in Caſtro Maceani Fratres Minores, quos Obſervantes vocant, ſi fides habenda, iis, quæ ex Regeſtis Berardi Philippi de Berardis Notarii, delibavit Patricius Cupers; ſiquidem legitur: *Hoc anno* (nempe 1522.) *quædam Mulier Joanna de S. Leone Maciani habitans, dixit ſibi apparuiſſe B. Virginem, cum S. Ubaldo, & quosdam lapides erexiſſe in plano Maciani, & ibidem ſibi Eccleſiam conſtrui præcepiſſe; unde ex concurſu, &. oblationibus templum ædificatum eſt, & fortaſſe ea eſt Eccleſia Fratrum Socculatorum.* Tandem tradunt Paulum Epiſcopum teſtamento diſpoſuiſſe, ut viam univerſæ carnis ingreſſus tumulo traderetur Urbini, in quodam Cathedralis Sacello, quod propriis inſtauraverat expenſis, & ſumptibus ſuis adoptatum ornaverat. Concreditam ſibi Feretranam Eccleſiam plurima cum laude prudentiæ ipſum adminiſtraſſe, Ariminenſibus etiam, nec non Piſaurienſibus, cum jam factus eſſet Epiſcopus, jus dixiſſe, teſtis eſt idem Ughellius; qui in eo tamen abludit a vero, quod ait, ipſum 28. omnino annis ſedem hanc occupaſſe, & anno 1535. e vivis abreptum fuiſſe. Erat quidem, tum in ſupputandis hujuſce Antiſtitis annis, tum in emortuali ipſius anno aſſignando. In enumerandis equidem annis; cum enim Paulus ad Inſulas fuerit aſſumptus, ipſo Ughellio teſte, labente jam anno 1510, ſi ad ſuperos evolaſſet, ut ille contendit anno 1535, vigintiquinque duntaxat annis, non autem vigintiocto Epiſcopatum tenuiſſet. Errat pariter aſſerendo e vivis ſublatum fuiſſe anno 1535, perſpicue enim legitur pagina 193. mox citati Collationum Libri, biennio poſt, die ſcilicet 15. Auguſti 1537. Capellam cuidam Præsbitero contulisſe in Plebali Eccleſia S. Marini fundatam, dictamque de Receputis. Hinc duo colligas. Primum quidem, quam turpiter erraverit, quiſquis ille fuerit, qui Labbeanæ Conciliorum Collectionis Indicem adornavit, dum Feretranos inter, Matthæum S. Leonis Epiſcopum recenſet, qui Seſſioni 12. Lateranenſis Concilii

ſub

ſub Leone Papa X. die 16. Martii 1517. habitæ interfuit, ſubſcripſitque; ac ſi Epiſcopus idem & Feretranus, & S. Leonis æquo jure nuncuparetur. Errorem fateri, aut nodum exolvere difficultatis, debuiſſet Laurentinius (quod tamen non præſtitit) cum probe noſſet, ſcriptoque mandaſset Paulum de Alexandris ab anno ſaltem 1511, uſque ad 1537. Feretranam ſedem occupaſse. Deprehendere hinc debuiſset; Matthæum S. Leonis anno 1517. Concilio Lateranenſi ſubſcribentem, eſse non potuiſse Epiſcopum Feretranum, ſed Epiſcopum potius Civitatis S. Leonis inter Cortonenſem, & S. Severinæ olim conſtructæ, cujus Epiſcopale Solium S. Pius V. abſtulit, ut ſupra de Alexandro Nerio diſserentes admonuimus. Colligas iterum vellim: quo pacto componi poſsunt, quæ Conticillus, & Maſtinius referunt his verbis: *His temporibus adeſt memoria in Eccleſia S. Hieronymi de Frontino, quod Paulus Strabutius conſecravit Eccleſiam prædictam ſub die* 5. *Novembris* 1514. Si quidem tali monumento ſua ſit fides ſervanda, & de Feretrano Epiſcopo ea ſint verba accipienda, nil aliud dici poteſt, quamquod Paulus Epiſcopus utroque cognomine appellaretur, nempe de Alexandris, & Strabutius; alias cum extra dubietatis aleam, ſupra, per nos, citata monumenta, reponant, quod hoc tempore Paulus de Alexandris Feretranam Cathedram tenebat, conſequenter vel Strabutius ex Epiſcoporum omni albo delendus eſset, vel ad aliam Epiſcopalem Sedem traducendus.

XXXII. Paulo de Alexandris e vivis erepto, ſive ad finem vergente anno 1537, ſive potius 1538, Feretranam Eccleſiam, quam ille viduatam reliquerat, adminiſtrandam obtinuit *Ennius Philonardus* jam Epiſcopus Verulanus, & S. R. E. titulo S. Angeli Cardinalis. Hic e Bauco Verulanæ Diæceſeos Oppido, ex honeſtis quidem, ſed ſuboſcuris Parentibus ortus, acri ingenio, morum elegantia, prudentiæ merito, pluri-

buſ-

buſque feliciter perfunctis muneribus, nedum Genti ſuæ, verum & Patriæ ſplendorem attulit, deque Apoſtolica Sede bene meruit, optimeque. Adoleſcens ſiquidem Romam profectus ſtatim Curiæ operam ſuam præbere cæpit, unde Summis Pontificibus Innocentio VIII, Alexandro VI, Julio II, Leoni X, Hadriano VI, Clementi VII, & Paulo III. in primis carus, plura, eorum juſsu, munia ſubiit, varias eorum nomine legationes peregit. Ab Alexandro ſiquidem VI. Verulanis Epiſcopus datus fuit, ab Julio II. Bononiæ Adminiſtrator adſcitus, Imolam deinceps, eo mandante, frænavit, ad Helvetios Legatus abiit, cum quibus adeo feliciter fædus iniit, ut in publico Purpuratorum Patrum Conſiſtorio Philonardum, veluti Eccleſiaſticæ libertatis, ac pacis Vindicem honorificentiſſime Julius commendaverit, Similibus, amplioribuſque legationibus apud Chriſtianos Principes ſub Leone, Hadriano, Clemente perfunctus eſt; & præſertim apud Urbini Ducem; & in Inſubria Paulo III. jubente, a quo tandem laborum, ac meritorum ſtipendia variis conſecutis dignitatibus reportavit. Ab ipſo enim Pontifice Cardinalis titulo S. Angeli creatus fuit, Feretranam Eccleſiam adminiſtrandam, nec non molis Adrianæ Arcem cuſtodiendam, obtinuit; poſtremo fuit Cardinalis Epiſcopus Albanenſis renunciatus. At mirum, quam rerum, temporumve ſeries in iis perturbata, quibus uſi ſumus tum editis, tum manuſcriptis Præſulum Feretranorum Catalogis. Oliverius hæc habet: *Ennius Philonardus Romanus Feretranam regebat Eccleſiam anno* 1535; quæ quantum diſtent a vero, ex ſupradictis jam conſtat. Conſtat enimvero Paulum de Alexandris, Ennii Præceſſorem ſaltem ad diem uſque 15. Auguſti 1537. vitam egiſse, cum ea die Capellam de Receptis contulerit. Probabilis ergo Ughellii opinio, cui pollice utroque ſubſcribunt cæterl; quod die duntaxat 12. ſequentis Auguſti 1538. Feretranam Eccleſiam conſecutus

cutus

cutus fuerit Philonardus. Certe poſt dicti ſaltem anni dimidium Ennium hanc Eccleſiam moderandam jam tenuiſse, indubitata res eſt; cum die 12. Septembris Bernardino Giannini a S. Agatha, ſuo apud Feretranos Generali Vicario, facultatem fecerit, ut Eccleſiæ Parochiali S. Mariæ de Vignola Rectorem daret; eſto id executioni mandatum reapſe non fuerit, ni die 21. Junii, ſequentis anni 1539; ut pagina 132, & 133. Collationum Beneficiorum Libri quiſquam percipere poteſt. Toto inſuper oſtio aberrarunt Oliverius ipſe, Laurentinius, Conticillus, & Maſtinius ſcribentes: Ennium Philonardum a Paulo III. die 22. Decembris 1546. in Cardinalium numerum cooptatum, ſtatim ad Verulanam Eccleſiam translatum, Feretranam dimiſiſse. Abludit, in primis, a vero, quod a Feretrana ad Verulanam Eccleſiam unquam translatus fuerit Philonardus; cum potius Verulanam primo obtinuerit die 4. Auguſti 1503. ab Alexandro VI, ut ſcribit Ughellius, Feretranam vero longe poſt, anno nempe 1538. a Paulo III. Patet quinimo ex oppoſito, Verulanam Eccleſiam ſexennio ſaltem ante obitum dimiſiſse, ut Antonio Philonardo, ſuo ex Fratre Nepoti, conferretur; quæ res cum ei pro voto ceſserit, illo jam Verulano Epiſcopo, in adminiſtranda etiam Feretrana, quam ſibi retinuit, Eccleſia, tanquam Vicario Generali, & Locum tenente Cardinalis Philonardus utebatur. Uno, vel altero ex pluribus, quibus hæc firmari poſsent monumento utar. Et primo quidem Inſtrumento ab Joanne Baptiſta Fontanella de Monte Madio, Notario Apoſtolico rogato, quod in S. Leonis Archivio, ut dicunt, cuſtoditur. En ipſa verba: *Anno 1543. die 29. Octobris Reverendiſs. D. Antonius Philonardus Epiſcopus Verulanus Reverendiſs. D. Ennii Cardinalis Philonardi Epiſcopi Feretrani Vicarius, & Locumtenens Generalis, cum repererit &c.* Hoc idem evincam ſecundo, ex ſæpe Collationum Beneficiorum Libro, in quo aperte legitur: Antonium Philonar.

lonardum jam Epiſcopum Verulanum die 1. Maii 1543. conſtitutum fuiſse a Patruo ſuo Ennio, Vicarium Generalem, & ſuum in Feretrano Epiſcopatu Locumtenentem; cujus ſibi demandati muneris auctoritate die 2. Junii ejusdem anni Parochialem Eccleſiam S. Donati de Rocca, & binas alias S. Petri, & S. Paterniani de Valle, Anteceſsori ſuo contulit Bernardino Giannini. Ex quibus id præterea deprehenditur Ennium non anno duntaxat 1546, ut ipſi ſcripſere, ſed ſaltem triennio ante inter S. R. E. Cardinales collocatum fuiſſe; imo ab anno uſque 1538. ſeſe jam Sacro Cardinalium Collegio adſcriptum prodit Ennius in ea, quam ſupra memoravimus, cui ille ſubſcripſit, Epiſtola ad Gianninum Vicarium ſuum data, pro Rectore S. Mariæ de Vignola inſtituendo. Æque inſuper abſcedit a vero Philonardum jam Cardinalem, Feretranæ Eccleſiæ, quam uſquetunc adminiſtraverat, nuncium remiſiſse; tuncque duntaxat Cardinalem Verulanum nuncupari cæpiſse; cum potius e contra Feretranæ Diæceſeos concreditum ei non fuerit gubernium, niſi poſt conſecutam jam purpuram, & nunc dicebatur, ut ex ejus Actis in Archivio Epiſcopali ſervatis, Cardinalis Epiſcopus Feretranus, nunc Feretranæ Eccleſiæ Adminiſtrator perpetuus. Falluntur ergo ſupradicti; dum ſcribunt, Philonardum ſatim ac fuerat Cardinalis deſignatus, Feretranam Eccleſiam Ennio Nepoti ſuo conferri tentaſse; fallitur ve Ughellius dicens, quod cum per annos decem hanc Eccleſiam adminiſtraſset, eam dignitatem, annuente Pontifice, in Nepotem tranſtulit. Falluntur, inquam; cum certo enim certius ſit Ennium Cardinalem Philonardum morte fuiſse ſublatum die 19. Decembris, anno 1549, ut ex Epitaphio ad tumulum ejus appoſito, tranſcribit Ughellius ipſe, ſit inde ut ad annum uſque ſuæ vitæ poſtremum Feretranam Eccleſiam ſibimet retinuerit. Enimvero die 21 Auguſti ejusdem anni 1549. Plebalem Eccleſiam Mon-

tis

tis Madii, ipſius mandato, & nomine collatam legimus in ſæpe citato Libro ad paginam 200. Conſequenter ſentiendum vel nunquam Ennio Juniori Nepoti ſuo Feretranam Mitram renunciaſſe Philonardum, vel id, non poſt adeptam purpuram, vel decem elapſis annis, ſed poſt undecim, & jamjam moriturum præſtitiſſe. Utriſque curæ ſuæ commendatis Eccleſiis, Verulanæ nempe, quam ad annos plurimos tenuit, & Feretranæ, quam ultra annos undecim adminiſtravit, beneficia contulit Philonardus. In priori quidem Cathedrali, prout in ejus Tabulis legitur, novam Capellam ad Altare majus in ea locandum, pulcherrimis columnis extruxit, ſuper illius fornicem ad ſacras reliquias Populo oſtendendas, locum erexit, Sedemque Epiſcopalem in ea exornavit, quin & Epiſcopalia domicilia jam indecora, & ſua penitus venuſtate deſtituta, magnis ſumptibus a fundamentis reparavit, auxit, & aucta ad nobiliorem majeſtatem redegit. Poſteriori vero, nempe Feretranæ Eccleſiæ dotem adauxit; obtinuit nempe anno 1544, prout ex ſervato Diplomate dato die 16. Auguſti, conſtat, ut Archipræsbiteralis SS. Hippolyti, & Caſſiani Eccleſia de Macerata Feltria, Epiſcopali menſæ perpetuo annecteretur. At cum unionis hujusce validitas, quam a Paulo Papa III. impetraverat Philonardus, nonnullis de cauſis, in dubium revocaretur, confirmata fuit a Clemente VIII. die 9. Februarii 1591. inſtante Epiſcopo Joanne Franciſco Sormano. Tandem annum agens 83. ætatis ſuæ Philonardus jam Epiſcopus Albanenſis, e vivis erepto Paulo Papa III, ſacris, quæ habebantur a Cardinalibus, Comitiis pro ſucceſſore eligendo interfuit. *At dum Patres, ejus unius animi pietatem, vitæ ſanctitatem, innocentiamque reſpicerent, ipſe morbo gravatus e ſacro Concilio in Arce, quam ſervaverat, ſecedens, humana conſilia omnia interrumpens ad meliora cæleſtia incredibili deſiderio, apud omnes relicto, evolavit: die Decembis XIX. An. Sal. MDXLIX. ætatis*

ſuæ LXXXIII. Verba hæc ſunt Epitaphii ad ejus Sepulchrum, per Antonium Epiſcopum Verulanum, & Saturnum Fratris Filios teſtamento Hæredes, appoſiti. Defuncti Philonardi corpus in ejus Patriam, prope Verulos, translatum fuit, & in Sacello Jeſu, Matrique Virgini, & Sebaſtiano Martyri, per Nepotes ipſos erecto, humatum ut refert Ughellius.

XXXIII. Ennium Cardinalem Philonardum Avunculum ſuum, nullo medio, excepiſſe *Ennium* alterum *Philonardum* a Narnia, de Maſſariis dictum conſtans eſt omnium ſententia. At quod Ennius iſte, nominis hujus in Feretrana Sede Secundus, electus fuerit die 25 Aprilis anni 1549, ut ſcribit Ughellius, aut die 29. ejusdem menſis, & anni, ut in Calce Conciliorum Labbeanæ Collectionis, inter Epiſcoporum promotiones ſignatur, tam falſum eſt, quam quod maxime. Saltem enimvero uſque ad labentem Auguſti menſem Feretranam Eccleſiam adminiſtrabat adhuc Cardinalis Philonardus, ut ex eo ſupra probavimus, quod die 21. Auguſti 1549. Eccleſiæ Plebali Montis Madii ipſe Rectorem dedit; Hinc; vel Feretranas Infulas Ennius Nepos obtinuit ex Avunculi ſui, ut contendunt, renunciatione; & ſic eas induere non potuit, ni dicto jam inclinante anno; vel defuncto duntaxat Cardinali Philonardo, junior Ennius eam ſedem eſt conſecutus, & inde fit, ut cum ille e vivis abjerit non ante diem 19. Decembris 1549, Nepos eam non conſcenderit, ni inneunte anno 1550. Conſulto diximus, eo anno ineunte, ex ſæpe enim citato Collationis Beneficiorum Libro compertum habemus, die 22. Februarii ejusdem anni 1550. Ennium de Maſſariis jam Epiſcopum Feretranum Capellæ, de Receputis in Plebali Eccleſia S. Marini providiſſe. Tridentino Concilio interfuit Ennius, ſeſeque Epiſcopum Feretranum ſubſcripſit; ex quo evidentiſſime apparet, quod Julius de Rubeis Epiſcopus S. Leonis (quem Laurentinius Hiero-

ronymum vocat, & inter Feretranos recenſet)ad Epiſcopos S. Leonis de Calabria ſit fortaſſe amandandus; cum nullo ſuſtineri pacto poſſit, binos ejusdem Sedis Antiſtites ſimul tempore extitiſſe, eidemque ſubſcripſiſſe Concilio. Sed nec opinandum quidem, uni alteri ſucceſſiſſe; cum ex ſupradictis, & ex mox adducendis perſpicuum ſit, quod Cardinali Philonardo Ennius alter immediate ſucceſſit, Feretranamque Sedem ad annum uſque 1565. occupavit; quo Julius de Rubeis S. Leonis Epiſcopus Romæ jam e vivis receſſerat, menſe ſcilicet Martio præcedentis anni; ut in ſupra memorata Labbeana collectione legitur. A Tridentina Synodo ad propriam reverſus Eccleſiam Ennius in eo totus erat, ut ad Concilii normam Clerum efformaret, totiuſque ſibi commiſſi Gregis mores componeret, cum inopportuna mors eum rapuit anno 1565, ut ſcribit Ughellius, non vero 1563, ut Laurentinius, & Oliverius errantes dixere. Horum errorem deprehendimus ex citato iterum Libro, ad cujus paginam 333. legitur Ennium II. Feretranum die 28. Aprilis 1565. Parochum Eccleſiæ de Petra Caula inſtituiſſe. Ad ſuperos ergo biennio ante non tranſierat.

XXXIV. Ennio Philonardo Juniore defuncto, alter S.R.E. Cardinalis Feretranam Diæceſim adminiſtrandam obtinuit; nempe *Carolus Vicecomes* Mediolanenſis, quem unus Oliverius ignoravit, aut præteriit. Ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem Legatione peracta, aliiſque pluribus ad alios Reges, & Imperatores, ſi Epitaphii verba attendantur, priuſquam ſæculo nuncium remitteret, & Eccleſiaſticæ militiæ nomen daret, Carolus Vicecomes adhuc Patriæ Senator, a Pio Papa IV. Romam accerſitus, Protonotarius Apoſtolicus primum effectus, deinde die 5. Decembris 1561. Abintimilienſis, ſeu ut vulgo dicitur, Vintimilienſis Epiſcopus renunciatus, Tridentum petiit, ut ſacro intereſſet Concilio. Cum ibi, ut narrat Ughellius, ſeſe prudenter

omnino Vicecomes geſſiſſet, cunctaque ad Pontificis nutum perſeciſſet, quæ in mandatis habuerat, ut illius ſolertia, ac virtus ſuo non careret præmio die 12. Martii 1565. Cardinalis creatus fuit, titulo SS. Viti, & Modeſti; eique paulo poſt, nempe die 6. Julii, Feretranæ Eccleſiæ concredita fuit adminiſtratio. Num vero circiter per biennium, aut ad paucos ſolummodo menſes hujus Eccleſiæ, quam in ſe ſuſceperat, curam egerit, dubietate res plena eſt, ſi ea attendantur, quæ male ſibi conſtans, ſcribit Ughellius. Feretranorum enim Præſulum ſeriem contexens aperte ait, Carolum Vicecomitem deceſſiſse anno 1567; unde inferendum quod commendatam ſibi hanc Eccleſiam circa biennium habuerit. At dum de eodem Vicecomite ſermonem denuo inſtituit in Epiſcopis Abintimilienſibus, hæc habet: *Cæterum breve admodum gaudium retulit ex Purpura; deceſſit enim eodem anno* (nempe 1565) *Romæ menſe Novembri, ſepultuſque eſt apud ſuum titulum, quo paulo ante fuerat inſignitus;* ex quibus jam ſponte flueret, vix quartum in Sedis hujus adminiſtratione Carolum Vicecomitem, menſem tranſegiſse. Ex hiſce duobus emortualibus Cardinalis Vicecomitis annis ab uno, eodemque Ughellio ſignatis, ut annum 1565. potius teneamus, duo nos potiſſimum urgent; & in primis quidem, quod Joannes Franciſcus Sormanus Vicecomitis immediatus Succeſsor, ipſo Ughellio teſte, a Pio Papa IV. electus fuit; id ergo eſse non potuit anno 1567, nam a die uſque 9. Decembris 1565. Pius IV. e vivis abierat, & a die 7. Januarii 1566. Sedem Petri Pius Papa V. implebat. Præterea ut defunctum dicamus Vicecomitem anno 1565. nos edocet Epitaphium, quod in integrum ex Ughellio ipſo tranſcribere lubet: *Carolo Vicecomiti Mediolanenſi S. R. E. Cardinali, qui Pio IV. ex Senatu Regio ad Epiſcopatum, inde ad Cardinalatum provectus, multis ad Reges, Imperatoreſque legationibus ſumma cum laude functus, vetuſtiſſimæ Gentis ſuæ nobilitati præ-*

cla-

Digitized by Google

claræ omni parte reſpondit . *Vixit an.* 42. *Obiit Romæ Idib. Novembris anno ſalutis* 1565. *Carolus Vicecomes Abizati Comes Magno Patruo B. M. P.*

XXXV. Non quidem immediate poſt Ennium Philonardum Juniorem , Feretranum Epiſcopum, ut Oliverius eum collocat , ſed poſt Cardinalem potius Carolum Vicecomitem Eccleſiæ Feretranæ Adminiſtratorem, quem ille ignoravit , reponendus eſt, ut Cronologi omnes reponunt *Joannes Franciſcus Sormanus* Patria Mediolanenſis, dignitate Canonicus , officio illius Metropolitanæ Generalis Vicarius, & Apoſtolicus Diæceſis Raguſinæ Viſitator ſub Pio Papa IV. Ughellius , qui in Feretranorum Præſulum contexenda ſerie, Carolum, ait, Vicecomitem inter vivos uſque ad annum 1567. perſtitiſſe , conſequenter ſcribit , non ante diem 6. Martii ejuſdem anni Epiſcopalem eam Sedem conſcendere potuiſse Joannem Franciſcum . At nos , qui annum potius 1565 , in Cardinalis Vicecomitis Epitaphio ſignatum, tanquam ipſius emortualem poſuimus, ut & ipſe, ſui immemor, in Abintimilienſibus poſuerat; probabilius ſuſtinemus , cum Laurentinio , & alterius Catalogi incerto Auctore , Sormanum electum fuiſse potius anno 1565. labente (non vero menſe Martio , ut iterum aberrando ſignat Ughellius , cum Idibus tantummodo Novembris Vicecomes deceſserit); nulla enim dicendi cauſa ſuppetit , Feretranam Eccleſiam ultra annum vacaſse. Eccleſiam hanc moderante Sormano S. Pius Papa V. novam Cathedralem in Oppido Pinnæ Billorum inſtituit, ibique Epiſcopalem Sedem firmavit; qua de re ſatis alibi diximus . Clericorum Seminarium mox inſtituere cogitavit , in eodem Oppido, Joannes Franciſcus Sormanus, cujus conſilium S Congregatio Concilii approbavit, confirmavitque datis per Cardinalem Hieronymum Matthæum litteris ſub die 29. Maii 1591, quarum in Capitulari Archivio ſervantur Autographa. Ut tandem vigilis, ac perfecti Paſto-

ſtoris omne opus impleret Diæceſanam Synodum in Eccleſia S. Chriſtophori de Pinna eodem anno, iiſque diebus, quibus, eo promovente, novæ Cathedralis Eccleſiæ fundamenta jacta fuerant , & aliam Synodum anno 1592. congregavit , quarum ſaluberrima Decreta Arimini typis juſſit mandari. Plura profecto præſtitiſſet Sormanus Epiſcopus , ni quibusdam exortis controverſiis tum Canonicos inter pro præcedentia , tum cum Sextini Archipræsbitero , qui Feretranæ in ſpiritualibus jurisdictioni ſubductus, Epiſcopo Burgi S. Sepulchri ſeſe ultro ſubmiſerat , Romam petens , indeque reverſus ; poſtremis vitæ ſuæ annis extra Diæceſim , Arimini nempe , ut in plurimum conſtitiſset ; vel Pinnenſibus (jure ne vel injuria neſcire juvat) ſubiratus , ut nonnulli contendunt , vel ut paci , ac propriæ ſecuritati contra ſibi inſenſum Urbini Ducem potius conſuleret, ut alii aſserunt. Tandem poſtquam per trigintaſex annorum ſpacium , ut recte ſupputat Oliverius, Feretranam Sedem tenuiſset Sormanus , e vivis Arimini abiit anno 1601. apud Olivetanos Monachos ; tumulo tamen mandatus, ut juſserat, in Eccleſia Fratrum Minorum de Obſervantia Montis Madii ſuæ Feretranæ Diæceſis , quos plurimis vivens beneficiis cumulaverat.

XXXVI. Initio ſeptimi ſupra decimum ſæculum , anno nempe 1601. Joannem Franciſcum Sormanum e vivis fuiſſe ſublatum, in dubium revocari non permittunt Acta Capitularia ſervata ; cum folio 26. hæc legantur: *Anno 1601. mortuus eſt Sormanus Epiſcopus, & Capitulum elegit in Vicarium D. Leonardum Leonardellium prædictæ Eccleſiæ Canonicum & in Cancellarium Cæſarem Mucciolinum , qui iisdem muneribus fungebatur etiam vivente Sormano* . Feretranas eas Infulas immediate induiſſe *Petrum Cartolarium* Urbinatem a Clemente Papa VIII. ea dignitate donatum pari conſenſu tradunt omnes ; at quo præciſo die, quove imo menſe fuerit inauguratus, non

non plane convenit inter Cronologos; id enim contigiſſe die 29. Novembris, ſcribit Ughellius, die autem 8. menſis Octobris, Oliverius. Hoc unum certum eſt, nonniſi die 24. Maii ſequentis anni 1602. Epiſcopatus poſſeſſionem in Eccleſia Pinnenſi per Procuratorem, Cartolarium obtinuiſse; ut manu propria Leonardellius prædictus, in mox memorato Capitulari Libro, teſtatum reliquit. Pluribus hunc Præſulem commendat Ughellius, dicens: *Cathedralem Eccleſiam ampliavit, Sacrarium, & Sacellum SS. Corporis Chriſti a fundamentis erexit, Organum confecit, Cæremoniarum Magiſtrum inſtituit, Synodum non ſemel coegit, Clerum ad puriores mores reduxit, Canonicos ad divina peragenda Officia in Cathedrali Eccleſia, & Chori munia, ut par erat, obeunda revocavit, & Eccleſiaſticam diſciplinam pene collapſam ad præſcriptos S. R. E. ritus, & S. Concilii inſtitutionem ibidem reſtituit, & Diæceſim ſemel in anno luſtravit*. Hæc in Cartolarii commendationem Ughellius, aliqua ſilentio obruens, quæ reapſe præſtitit in Eccleſiæ ſuæ utilitatem amantiſſimus Paſtor, nonnulla ex oppoſito eidem adſcribens, quæ ab ejus ſucceſſore peracta fuere. Sibi concreditam, nulla mora, Diæceſim luſtraſse Cartolarium non inficiamus; ſemel, & iterum ad Eccleſiaſticam inſtaurandam diſciplinam, Clerive ſui componendos mores, Diæceſanam Synodum habuiſse, ſcimus; unam nempe menſe Octobris 1602; alteram vero menſe Novembris 1603, & utriuſque ſanctiones imprimi anno 1604. Urbini mandaſse; tandem, quod Ughellius præteriit, unionem Beneficiorum ſimplicium S. Mariæ Angelorum de Pinna, S. Mariæ de Arce Carpinei, S. Mariæ Magdalenæ de Euſoliano, S. Mariæ de Cella de Monte Carpineo, & S. Petri in Miſsa de Pinna, pro Capitulari Menſa a Clemente VIII. obtinuiſse, ex Pontificiis litteris 4. Non. Julii 1602. datis apud S. Marcum, pro certo conſtat. At Sacrarium, Organum, & Sacramenti Sacellum in nova ſua Cathedrali Pinnenſi, ſive proprio, ſive Piorum

rum collato ære a fundamentis excitaſse (abſit inju- ria verbo) falſum eſt. Quidam inſpiciatur lapis ejuſdem Sacelli angularis, ſtatimque apparebit opus illud nonniſi anno 1608. confectum fuiſse, quo jam Cartolarius ſupremum diem clauſerat. Ea quidem fortaſse, & alia etiam præſtare opera cogitaverat ille, & præſtitiſset reapſe, ni propter ſummam in utroque jure peritiam, vix elapſo in reſidentia biennio, Romam vocatus, inibi, in variis ſibi, ab Apoſtolica Sede demandatis negotiis expediendis occupatus, ad obitum uſque manſiſset. Omnibus igitur carus, maximoque ſui deſiderio relicto, mortalis eſse deſiit, non quidem anno 1606, ut ſcripſere Laurentinius, & Oliverius, ſed potius menſe Januario 1607, & quidem Romæ; ut ex Epiſtola ad Feretranum Capitulum data, cujus Autographum in Archivio Canonicorum inſpicitur adhuc, & ex Vicarii Capitularis electione manifeſtiſſime evincitur. Ejus corpus non ad Abbatiæ Vallis Eccleſiam, ut mox memoratus crediderat Laurentinius, tranſlatum fuiſse; ſed Urbini potius in S. Franciſci Eccleſia, poſt funebrem ab Oliverio de Oliveriis in ipſius laudem pronunciatam Orationem, terræ fuiſse mandatum, legitur apud Ughellium, cum ſequenti Epitaphio: *Petro Cartolario Urbini, Epiſcopo Feretrano J. U. C. qui poſt plurimos tum ſæculares, quam regulares Eccl. Magiſtratus ſumma cum virtute, integritate, ac laude geſtos, egregiam in Conſult. totius Dominii Eccl. negotiis trib. Pont. Clemente VIII, Leone XI, & S. D. N. Paulo V. navatam operam inſigni pietate erga pauperes, præſertim exteros ad veram fidei lucem converſos, omni virtute, ac laude cumulatus obiit anno ætatis ſuæ LXVI. ſalutis omnium MDCVII. Franciſcus Cartolarius Nepos P. C.*

XXXVII. Petri Cartolani e vivis abrepti locum, Paulo Papa V. annuente, immediate occupavit *Conſalvus Durantes* ex Oppido, ſeu ut tunc appellabatur, Civitate S. Angeli in Vado; aut die 28. Januarii, ut Lau-

Laurentinius, & Oliverius referunt, aut potius die 19. Februarii, ut ſignat Ughellius. Diem ſaltem adeptæ poſſeſſionis in dubium vertere non permittunt Acta Capitularia, in quibus hæc habentur: *Anno* 1607. *Menſe Januario Petrus Cartolarius Epiſcopus prædictus Romæ, diem clauſit extremum, Sedi Apoſtolicæ inſerviens, illique non multo poſt a Paulo Papa V. P. M. Succeſſor ordinatus eſt Reverend. D. Conſalvus Durantus a S. Angelo in Vado. Eodem anno die* 19. *Martii, ut per Inſtrumentum rogat D. Jo: Maria Franchini, poſſeſſionem dicti Epiſcopatus per Procuratorem D. Conſalvus apprehendit, qui Maii primo dicti anni ſolemniter in eamdem Cathedralem intravit*. Vir fuit Durantes humanis litteris perpolitus, in Theologia ſatis verſatus, & operibus typis excuſſis Reipublicæ litterariæ non ignotus; iſque optimis moribus præditus, teſte Ughellio, de Eccleſia ſua ob paſtoralem ſollicitudinem, quam nulla unquam labefactare potuerunt præſtigia, optime meritns. Ex trigintaſex annis, quibus Epiſcopatum geſſit, primo haud interrupto ſeptennio Pinnæ conſtitit, ubi totidem Synodos Diæceſanas, typis poſtmodum editas, habuit; & in Cathedrali SS. Sacramenti Sacellum, Sacrarium, & Organum fieri curavit; eo loco collocandum, de quo cum ſuis Canonicis die 15. Junii 1607. ad Capitulum evocatis convenerat, ut Acta Capitularia, & ex iis Conticillus, & Maſtinius nos edocent. At vix ſeptimo ab Epiſcopatu ſuſcepto, elapſo anno ob exardeſcentes eum inter, & Capitulum, Communitatemve Pinnæ Controverſias, indignatus receſſit, & ad Abbatiam S. Anaſtaſii in Valle ſe contulit, ibique per aliud circiter ſeptennium commoratus, ocii illius, ac ſolitudinis beneficio, opus ſuper Revelationes S. Birgittæ, in duas tributum partes, ad umbilicum perduxit, publici juris faciendum; Cathedralem ſuam ſtatis duntaxat temporibus ad Pontificalia peragenda, & cogendas Synodos inviſens. Conceptæ, contra Pinnenſes, indignationis cauſam eam fuiſſe nonnulli tradunt;

quod Durantes tentaverit Oppida Plani Meleti, & Belfortis a Feretrana Diæceſi divellere, ut Patriæ ſuæ Civitati S. Angeli in Vado rem gratam faceret; cui ſeſe invicto animo oppoſuere Pinnenſe Capitulum, necnon Feretranæ Provinciæ Comitia. Præterea, cum atteſtationem habitæ reſidentiæ, Romanæ Curiæ exhibendam expoſceret a coacta jam Synodo, citra conſcientiæ diſcrimen impetrari non poſſe ſenſit, ſoſtinuitque Horatius Oliverius Pinnenſis Præpoſitus, unde infecta re, ſoluta eſt Synodus. At de his fides apud enarrantes ſit. Nuncium tandem Abbatiæ quoque S. Anaſtaſii remittens, ad Oppidum Maceratæ Montisferetri tranſiit, ubi diem ſuum clauſis ſupremum die 10. Januarii 1643. Corpus vero ejus, ut in Teſtamento mandaverat ad Cathedralem Patriæ ſuæ S. Angeli in Vado translatum fuit; corde in Parochiali Eccleſia Maceratę, repoſito, veluti erga Diæceſem ſuam, amoris pignus. Eo adhuc Epiſcopatum gerente repertum fuiſſe Corpus S. Alberici Monachi, ſeu Heremitæ in Eccleſia Abbatiali S. Anaſtaſii de Valle; ac impetratam a Vicohabentia inſignem S. Leonis Patroni, reliquiam, S. Congregationi Concilii retulit ejus in Epiſcopatu Succeſſor. Hoc inſuper annuente, imo & hortante Epiſcopo, pauciſſimæ, quæ ſupererant in Monaſterio Pinnæ Billorum, &, ſuppreſſo jam Humiliatorum Ordine, ſine certa lege vivebant Devotæ Mulieres, D. Dominici inſtitutum amplexæ, profeſſionem emiſere, rem agente F. Marco a S. Laurentio Ordinis Prædicatorum, cui ab Epiſcopo Durante, & a Sacra Regularium Congregatione ſub die 7. Octobris 1625. facta fuerat facultas. Videatur, ſi lubeat, Hiſtoriola, quam Italico Idiomate Urbini typis conſignavimus.

XXXVIII. Ab Epiſcopali ſua Feretrana Sede per mortem deturbato Conſalvo Durante, gradum eundem, Urbano Papa VIII. promovente, conſcendit paulo poſt *Bernardinus Scala* ex Terra S. Abbundii, non Callienſis,

ſis, ut habet Ughellius, ſed Eugubinæ potius Diæceſeos, ac ditionis, ut notant alii, oriundus; Vir probus, & eruditus. Canonicum Theologum Cathedralis Callii fuiſſe Scalam, deinde Abbatem Sorticuli in eadem Diæceſi, ſcribunt Socii Conticillus, & Maſtinius; demum ex Canonico S. Laurentii in Damaſo, Vigilienſis Eccleſiæ in Apulia Infulis exornatum a memorato Pontifice die 12. Januarii 1637, ſcribit Ughellius. Ab hac ſibi ſemel tradita ſponſa nunquam abſcedere cupiens, in Æde S. Mariæ Gratiarum vivens adhuc ſepulchrum ſibi, cum ſequenti inſcriptione paraverat: *Bernardinus Scala Epiſc. Vigilien. ſibi, vivens mortis monimentum, tumulum, & Carmen compoſuit.*

Hoſce gradus ſcandens Mitræ redimitus honore
Auxilio fulſi, Virgo Beata tuo
Ex te Sol nituit, cæli, quæ Scala vocaris.
Sis mihi Sol, oro, ſis mihi Scala Polo.

Anno D. MDCXLI. Præſulatus V. Placuit attamen eidem Urbano VIII. poſt ſexennium, a Vigilienſis Eccleſiæ latere Bernardinum Scalam divellere, ut novam ſponſam, Feretranam nempe per mortem Durantis viduatam, duceret, quod die 18. Maii 1643. contigiſſe aſſerunt Laurentinius, & Ughellius. Novi tamen Epiſcopatus poſſeſſionem nonniſi die 31. Junii per Procuratorem apprehendit, paucíſque elapſis diebus, perſonaliter acceſſit, & Pinnæ reſedit; ut ex Actibus Capitularibus, ſervatis didicimus. Diæceſanam Synodum ſequenti ſtatim anno die 13. Junii coegit, Cathedralem ſuam Benefactorum muneribus, ac propria munificentia inſtauravit; ut ex hac inibi exiſtente Inſcriptione, fit palam: *Bernardinus Scala Epiſcopus Feretranus ex propriis ſumptibus, & Piorum eleemoſinis Eccleſiam hanc Cathedralem ad meliorem formam reaptandam curavit. A. D. MDCLX*; eamque ditavit anno 1662. corpore S. Abbundantii Martyris. In ipſa, ut ajunt Pinnenſes Socii, unum Beneficiatum erexit pro aſſiſtentia in diebus Feſtis in

Choro, & Miſſis cantantis, & Seminarium Clericorum ad formam S. Concilii Tridentini, apud eam, diu deſideratum, formaliter erexit, dotavitque de proprio, auxitque poſtmodum de bonis Conventiculorum Regularium, tempore, ac decreto Innocentii X. in Diæceſi Feretrana ſuppreſſorum. Compoſuit, & typis mandavit vitam S. Pulcheriæ Imperatricis. Bonus tandem Paſtor diebus, ac meritis plenus obiit, poſtquam per annos 24. Eccleſiæ huic præfuiſſet, die 19. Januarii 1667. ut in calce Oliveriani Catalogi aliena manu ſcriptum legimus, hora 23, ætatis ſuæ 86. menſibus 9, diebus 16; & hic fuit primus, cui tradita fuit Sepultura in Eccleſia Feretrana Pinnenſi, in tumulo proprio illius ære conſtructo, juxta vas aquæ benedictæ, in ingreſſu majori Januæ cum ſequenti Epitaphio

Hunc poſt ſæcla decem, & ſex ſexagintaque Chriſti
Sex annos rapuit decima nona dies.

Opportune hic notare liceat, notu profecto Divini Numinis factum, ut eo ipſo tempore, & illo Feretranam Eccleſiam gubernante Præſule, quo Fratres Prædicatores Conventum Montis Cerignonii, & Hoſpitium Caſtris Illicis, Apoſtolica auctoritate, cum aliis ſuppreſſos, amiſere, novum in Caſtro Petræ Acutæ Cænobium acquirerent. Jam enim a die uſque 28. Octobris anni 1633. quidam Joannes, Sinibaldi de Sinibaldis Filius, Juris peritus Arimini degens, ſed ex Caſtro prædicto oriundus, teſtamento diſpoſuerat, ut ſi nullum poſt ſe reliquiſſet, Deo ſic diſponente, ſemen; mortua quoque Angela Venturella Uxore ſua, necnon Maria Sinibalda Sorore Joanni Baptiſtæ Statio de Roncofrigido nupta, quidquid opum ejus reliquum eſſet, piis nonnullis in Patriæ ſuæ utilitatem præſtitis, quæ decreverat, operibus; Fratribus Bononienſis, ut ipſe ait, Provinciæ, quos unice diligebat, traderetur, ut in memorati Caſtri Petræ Acutæ Summo vertice Conventum conſtruerent; quibusdam adhibitis conditioni-

nibus, quæ ex Teſtamentariis Tabulis jam typis editis tranſcribere, temporis nonniſi diſpendium putavimus. E vivis receſſit ipſe die 17. Julii 1649, abiere pariter paucis ab ejus obitu elapſis annis, & Uxor, & Soror, & circa annum, 1655, ut ex dicti Conventus ſcripturis deprehendimus, Dominicani Ariminenſes, loci poſſeſſionem obtinuere, & Epiſcopo Scala annuente, Cænobio, quod nunc etiam incolunt, erigendo ſedulam navarunt operam.

XXXIX. Bernardino Scala vita functo, ſucceſſor deſignatus fuit ab Alexandro Papa VII. *Antonius de Poſſentibus* a Fabriano Camerinenſis Diæceſis, hujus nominis in ea Sede ſecundus, Juris utriuſque Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, qui Vicarii Generalis munus geſſerat ſub Archiepiſcopis Cuſentino, & Januenſi, & Rotæ Ferrarienſis Auditor fuerat. Electionem quam fecerat Alexander calculo ſuo adprobavit Clemens IX. ejus ſucceſſor, Antonium de Poſſentibus jam Feretranum deſignatum Epiſcopum confirmando. Hujus Præſulis inaugurationem ad diem uſque 3. Auguſti 1667. per errorem diſtulit Nicolaus Colletti in additionibus Ughellio factis; conſtat autem ex Capitulorum Libro, electionem Antonii de Poſſentibus a die uſque 17. Aprilis ejusdem anni per litteras Romæ datas Canonicis innotuiſſe. Sane Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem nonniſi pridie Idus Auguſti per Procuratorem obtinuit Antonius, acceſſitque perſonaliter die 28. Octobris SS. Apoſtolis Simoni, & Judæ ſacra, ut ex poſtremis Catalogi, Ughelliano non diſſimilis, quo uſquenum uſi ſumus, verbis liquido apparet. Quæ in Eccleſiæ ſuæ utilitatem intra quadriennium præſtitit Epiſcopus de Poſſentibus, referunt Sinchroni Teſtes Conticillus, & alter, qui Oliveriano Catalogo ultimam manum appoſuit; ex quibns hæc accipe; ut cleri ſui mores ad Sacrorum Canonum normam componeret, Diæceſanam Synodum celebravit, Congregationes caſuum conſcientiæ,

tiæ, & alia ſpiritualia exercitia ad animarum profectum inſtituit; quatuor Deciſionum Legalium centurias typis mandavit, uti & Vitam Georgii Caſtriotti, vulgo Schanderbechi Albaniæ Principis: Epiſcopale Domicillium Pinnæ, & Abbatiæ S. Anaſtaſii propriis ſumptibus reparavit, auxitque; ampliavit Thronum Cathedralis Eccleſiæ, novum paravit Seminarii ædificium, Ædes ſuas Maceratæ Feltriæ ad meliorem formam redegit, Prædia, Vineas, & alia melioravit ad Epiſcopalem menſam ſpectantia. Tandem dum majora, meliorave ab eo expectabantur, obiit, publice ab Archidiacono Conticillo, cujus tam ſæpe meminimus, inter Populi, Capituli, totiuſque Cleri funus comitantis, lachrymas, eleganti oratione laudatus, & Pinnæ in Cathedrali Eccleſia, prope gradus Majoris Altaris monumento traditus, ſuper quod, ſequens inſculptum fuit Epitaphium: *Antonio de Poſſentibus a Fabriano, Generis, & animi nobilitate conſpicuo, digniſſimo Cathedralis hujus Epiſcopo, Viro moribus, & Virtutibus præclariſſimo, qui pro Eccleſia Dei poſtquam multa, eaque inſignia explevit munera, ad hanc Sedem Operarius miſſus a Domino, ſingulis ut eſſet omnia, non antea quievit, quam de hac ipſa Feretrana Eccleſia, Diæceſi, & Patria, ubi in perpetua benedictione erit, optime meritus, in ſomno pacis requievit. Die XIV. Decembris anno Salutis MDCLXXI, ætatis ſuæ LXX, Epiſcopatus IV.* Hinc iterum deceptum apparet fuiſſe Collettum novam Ughellii editionem Venetiis curantem, dum ſcripſit: Antonium de Poſſentibus die 12. Septembris defunctum; conſtat enim ex Epitaphio oculis omnium perſpicuo, necnon ex duobus tunc temporis viventibus Teſtibus, qui Oliveriano, & alteri Catalogo jam expletis, notulas addidere, dictum Epiſcopum die 14. Decembris circa horam nonam e vita migraſse.

XL. Epiſcopale onus, quod ad menſem uſque Decembris labentis jam anni 1671. geſſerat Antonius de

Poſ-

Poſſentibus, modica interjecta mora, in ſe ſuſcepit *Jacobus de Bonis*, hujus nominis tertius, ex quodam Caſtro dicto Abbatia Tedaldi, ſeu Tebaldi, quod ad Diæceſim Burgi S. Sepulchri ſpectat, & a finibus Feretranis non longe diſtat. Eo obſcuro loco, ignobilibuſque Parentibus ortus Jacobus, fortunæ ſuæ, ut ſcribunt Conticillus, & Maſtinius, in humilibus ſervitiis Romæ poſuit apud Cardinalem Lantem; cujus poſtmodum Auditor fuit. Juris utriuſque ſtudio deditus, & Advocati in Urbe munus exercens, in eam litteraturæ, & legalis peritiæ exiſtimationem devenit, ut Advocatus Conciſtorialis, & Appellationum Curiæ Capitulinæ fuerit tandem Judex electus, & ſexagennario major Epiſcopus Feretranus a Clemente X. deſignatus, die, ut apud Ughellium, 8. Februarii 1672. Cum conſecrationis beneficium die 25. ejusdem menſis reportaſſet in Eccleſia Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, per manus Cardinalis Odeſcalchi, ut refert Laurentinius, Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem accepit per Procuratorem Octavium de Oliveriis, tunc Vicarium Capitularem die 22. Martii ejusdem anni, ut in Capitulari Libro ſignatur. Perſonaliter poſtea accedens, Præbendam Theologalem in ſua Cathedrali inſtituit, & dignitati Archidiaconatus perpetuo copulavit; priorem etiam in Oppido S. Leonis erectam Cathedralem, ex incuria omnino neglectam, reparavit, auxitque, novo in ea conſtructo Sacello; ſicuti & aliud ædificavit in Eccleſia Abbatiali S. Anaſtaſii, in quo corpus B. Alberici honorifice collocavit. At antiquum in S. Leone Epiſcopale Palatium etiam refeciſſe, falſo ſcripſit, qui Ughelli additiones adornavit Collettus, a Leontinis, id perperam contendentibus, facile deceptus; cum Ædes Epiſcopales nunquam inibi extitiſſe, ſatis ex ſupradictis conſtet. Quinimo Laurentinius ipſe, eſto ſui S. Leonis, jurium vindex acerrimus, refert Jacobum de Bonis Chirographum, quod ſervatur adhuc, a Pon-

a Pontifice obtinuiſse, quo Palatium, quod Ducum Urbini fuerat, in eo Oppido exiſtens in proprium, privatumque commodum impetraret, eo conſilio ut inibi, veluti in loco Diæceſis medio, & Diæceſanis omnibus, ut putabat, opportuniſſimo, reſidentiam ſuam firmaret, translata Epiſcopali Sede, ac Tribunali, & ſex ad minus ibi inſtitutis Canonicis. Hæc dum moliretur Jacobus Epiſcopus, obſtitere pro viribus Pinnenſes Canonici ſimul, & Cives, & intentata lite apud Romanam Curiam, victoria ſtetit contra Epiſcopum, pro Pinnenſibus, ut alibi innuimus. Hinc cum illum tædere cæpiſset illuc reſidere, evecto ad Apoſtolatus culmina Innocentio XI, Romam pettit, & benigne a novo Pontifice, cui notus admodum, & carus extiterat olim, exceptus, ibique aliquandiu commoratus, & Cardinali Carpineo Urbis Vicario, pro ſtatu Monialium inſerviens, tandem ad Eccleſias Nepeſinam, & Sutrinam vacantes, eo procurante, translatus fuit die 25. Februarii 1678, integro a die conſecrationis ſuæ, in Feretrano Epiſcopatu, exacto ſexennio; cujus tranlationis accepto nuncio, Feretrani, nil forſam dolentes, Canonici Vicarium Capitularem elegerunt die 12. Martii, ut apparet ex Actibus, in ipſorum Archivio ſervatis.

XLI. Conſolatus eſt tandem Deus Matrem in Filio, aſſumpto ſcilicet ex Diæceſi, Diæceſis Paſtore, nempe *Bernardino* ex Nobili Familia *de Belluzziis* Oppidi, Reipublicæ S. Marini ejusdem Feretranæ Diæceſis, qui ex Filio ejusdem Eccleſiæ a SS. D. Innocentio XI. factus eſt anno ętatis ſuę circiter trigeſimo; etiam ſponſus. Hęc verba ſunt Sociorum Conticillii, & Maſtinii, de hoc poſtremo loco recenſito Pręſule in Catalogo, cui eo adhuc Feretranas Inſulas geſtante, manum ultimam appoſuere. Hunc tamen nonniſi quinque ſaltem a Prędeceſsoris ſui translatione elapſis menſibus, electum fuiſse, ex Actibus Capitularibus deduci debet; cum ap-

appareat ex iis, quod die 9. Auguſti munus ſuum exercebat adhuc Vicarius Capitularis a die, ut diximus 12. Martii deſignatus; imo nonniſi poſt ſex circiter menſes inauguratus fuit Belluzzius, ſi Ughellianæ additiones attendantur, die nempe 5. Septembris 1678; nec ante diem 19. ejusdem menſis poſſeſſionem per Procuratorem adeptus eſt, Laurentinio teſte. Vir erat Bernardinus, hujus nominis in Feretrana Sede ſecundus, vir inquam erat probatæ virtutis, & ſapientiæ, utriuſque legis peritus, fueratque per ſexennium tum Generalis Legationis Urbini, tum Rotæ Ferrarienſis Auditor, apud Cardinalem Cerrum, ut Auctores referunt præcitati. Vix ad Epiſcopale ſolium evectus, Diæceſim totam perſonaliter viſitando luſtravit; Synodum cum ingenti tum Cleri, tum Populi profectu celebravit, exercitia ſpiritualia, juxta circulares litteras, de Pontificis mandato, a S. Concilii Congregatione anno 1682. Epiſcopis omnibus tranſmiſſas, pro ordinandis inſtituit, Prædicationis munus in majoribus anni ſolemnitatibus per ſe ipſum obibat in ſua Cathedrali; in qua Pænitentialem præbendam erexit, ac tectum Chori, & Fornicem præ vetuſtate rimas agentem reſtauravit. In Plebali Eccleſia Terræ S. Agathæ anno 1681, ſeptem Capellanorum Congregationem, quorum caput eſset Archipręsbiter, animarum curam agens, fundavit, donavitque ex bonis D. Violantis de Torrettis devotę mulieris. In inſignem tamen Collegiatam Eccleſia illa erecta reapſe non fuit ante anum 1719, quo Belluzzii Succeſsor Martorellus, facultate ſibi facta a Clemente XI, per Bullam IV. Idus Auguſti ſignatam, erectionis decretum die 22. Decembris edidit, dieque 31. ejusdem menſis, & anni nuper inſtitutorum Canonicatuum poſseſſionem Cappellani obtinuere. Patrię ſuę haud immemorem Belluzzium in Oppido Sancti Marini Collegium inſtituiſse, ut in eo decem ad minus pie educarentur Pueri, & humanioribus litteris imbuerentur.

rentur ſcripſere Conticillus, & Maſtinius. Hoc tamen præſtitum jam fuerat ante a P. Aſcanio ex eadem Belluzzia Gente, in Eccleſia nova S. Philippi Romæ Præsbytero. Hæc, aliave in Feretranæ Eccleſiæ, & Diæceſis decus peregit optimus, & vigil Paſtor Belluzzius, pluraque præſtitiſſet, ni vigintiquatuor in eo Epiſcopatu completis annis, aliam Sedem occupare, Camerinenſem ſcilicet, die 25. Septembris 1702. debuiſſet, id, non ſine Feretranorum fletu, jubente Clemente XI, ne noxio ſibi aere, valetudinarius e vivis abriperetur; ut ex Epiſtola, evincitur, occaſionæ ſuæ tranſlationis ad Capitulum data, quæ in Archivio Capitulari cuſtoditur.

XLII. Sedem Feretranam, quam vacuam relinquere in mandatis habuit a Clemente Papa XI. Bernardinus Belluzzius, conſcendere juſſus eſt ab eodem Pontifice *Petrus Valerius Martorellus* Aloyſi Filius Nobilis Auximanus, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe olim Beneficiatus, celebris in Romana Curia Advocatus, Commiſſarii Reverendæ Cameræ Apoſtolicę ſubſtitutus, & Secretarii Congregationis Concilii poſtea Auditor. Qua, præter etiam Canonico-legalem peritiam, eruditionis fama claruerit Martorellus, ſatis indicant (quin de Viro litterario Orbi jam noto, plura addere neceſſe ſit) nonnulla typis excuſſa ejusdem Opera; quorum præcipuum illud eſt, quod Urbini edidit anno 1707, & Hannibali Cardinali Albano dicavit, cui titulus: *Lezioni familiari ſopra l'Iſtoria de' Concilj Generali di Oriente*; in duas partes tributum, quibus præliminares quæſtiones, Apoſtolorum Concilia, & ea quæ contra Arii impietatem coacta fuere, Clero ſuo, & Pinnenſi Populo expoſuit; Et aliud anno 1735. Romæ vulgatum, & Clementi Papæ XII. inſcriptum, tribuſque in parvo Folio Tomis comprehenſum, cui titulus: *Teatro Iſtorico della S. Caſa Nazarena della B. V. Maria, e ſua ammirabile traslazione in Loreto*; ut alia inferioris molis opuſcula omittam.

Unum

Unum dicam, teſte Aloyſio Martorello noſtri Præſulis Patre, in Epiſtola Auximanæ Hiſtoriæ a ſe concinnatæ, nuncupatoria: Coſimum nempe III. Magnum Hetruriæ Ducem, Sereniſſimæ Domus, & Aulæ ſuæ Advocatum, Petrum Valerium conſtituiſſe. Nec prætereundum aliud, ſummæ ejus legalis peritiæ certe inſigne argumentum; ſcilicet Martorellum, unum ex quatuor Advocatis fuiſſe, quorum tutelæ concredita fuit lis illa, quæ Rheni Palatinum inter, & Aurelianenſium Ducem vertebatur. Hinc nil mirum ſi docto Præſuli Belluzzio, æque eruditus datus fuerit in Feretrana Sede Succeſſor die 5. Martii 1703. Martorellus; qui poſſeſſionem medio Procuratore obtinuit die 22. Aprilis ejusdem anni, ut in ſæpe citato libro Capitulari fuit ſcripto traditum. Per plures quidem annos, unum nempe, & ultra ſupra vigeſimum eam Sedem tenuit; at non ei conſtans eluxit ſerena dies, nec diutius potuit os Accuſatorum obſtruere, aut Malignantium eludere criminationes. Hinc Franciſcus Marcellus ab Æxio, cum poteſtate Vicarii Apoſtolici miſſus ab Urbe, Pinnam die 25. Julii 1721. ingreſſus, demandatum ſibi munus exercere cæpit, licet non abſque aliqua humanarum, divinarumque rerum perturbatione. Martorellus autem Epiſcopus S. Congregationis mandato Romam in judicium vocatus, & tandem, non minus Podagræ morbo, quam ferreis vinculis perpeditus, vi adductus fuit. Quæ ipſi objecta, ſeu fortaſse creata fuerint crimina, quam levi manu plurimas eas ſordes abſtergere potuiſset, quæ tandem Romæ in ejus cauſa, ultra triennium producta, evenerint, ignorare lubet, aut præterire. Hoc unum pro indubitato accepimus, quod elevatus, ſolo Spiritus Divini afflatu, ad Pontificatus apicem SS. noſter Benedictus XIII. facultatem fecit Martorello, ut ſponſam ſuam Feretranam Eccleſiam, a cujus latere arte, & vi abductus fuerat, ſi vellet, reſalutaret. At ipſe opportunum duxit, &

 ſecu-

ſecurius iræ locum dare, Feretranas Inſulas nempe labens exuere, & Epiſcopatum ſponte dimittere. Quod cum præſtitiſset menſe Novembri 1724, Romam evocatus fuit ſequenti ſtatim menſe, etiam Apoſtolicus Vicarius Franciſcus Marcellus, ſicque omnino viduata, licet brevi admodum tempore, remanſit Montisferetri Eccleſia.

XLIII. Quem vix abdicaverat Feretranum Epiſcopatum, ut optata ſecuritate Romæ frueretur, Petrus Valerius Martorellus; incunctanter obtinuit Frater *Flaminius Dondi* ex Vicariatu S. Jacobi Parmenſis Diæceſis, & ex Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia, aſsumptus. D. Franciſci regulam profeſsus Dondius Philoſophiæ, ac Theologiæ addiſcendæ ſedulam navavit operam, eaſque docuit per annos plures; donec expletis conſuetis apud ſuos ſtudiorum curriculis, Lectorem, ut ipſi, appellant, Jubilatum eum renunciarunt. Cum autem non ſcientia tantum, verum & prudentia, cæteræque regimini ſubeundo neceſsariæ dotes, ſatis in ipſo eluceſcerent, Provinciæ ſuę Bononienſis Definitor primum, dein, & Miniſter Provincialis electus fuit. Nec ſuo tantum innotuit Ordini Dondii probitas, ingenium, maturitas, ſed illuxit & aliis; unde factum fuit, ut etiam extra Clauſtra in pluribus adhiberetur. Dum apud Burgum S. Donnini degeret, Conſultoris S. Inquiſitionis munus geſſit; Parmę Civitatis, & totius Diæceſis examinator fuit Synodalis, Romę Sacrarum Congregationum Inquiſitionis, & Indicis Conſultor extitit, & qualificator, Ravennę Fulvius Cardinalis Aſtalius Legatus, illum Theologum habuit. Tandem eo ipſo Cardinali, ut conjectari licet, apud Clementem XI. inſtante declaratus eſt F. Flaminius Dondi Epiſcopus Abderitanus, & Suffraganeus Sabinę, pridie Idus Aprilis 1717, & poſtremo a Benedicto Papa XIII. ad Feretranam Eccleſiam translatus 12. Kal. Decembris 1724. Poſseſſionem ſibi concreditę Sedis obtinuit,

by Google

nuit, more ſolito, per Procuratorem die 30. ejuſdem menſis, acceſſitque perſonaliter die 27. Januarii ſequentis anni 1725. Non diu tamen frui licuit Dondio eo Prȩſulatu, nec plura potuit, ut in votis habebat, prȩſtare in ſuæ Diȩceſeos, quam unice diligebat, utilitatem; paucis enim ſupra quadriennium elapſis menſibus, cum nondum confirmata valetudine ex morbo, quo fuerat correptus, Ædes B. Virginis Fontis Scarini, non longe a Feretranȩ Diȩceſis finibus poſitas, devotionis ergo inviſere voluiſset, inibi iterato Apoplexiæ ictu percuſsus, e mundo abiit die 12. Auguſti 1729; cujus corpus eodem Veſpere Pinnæ translatum, in Cathedrali Eccleſia, cum ſequenti inſcriptione, tumulatum fuit: *F. Flaminius Dondi Parmenſis, Ordinis Min. Obſer. hic jacet, Primum Epiſcopus Abderitanus, & Suffraganeus Sabinæ, Dein Feretranus, utramque Eccleſiam rexit provide, & feliciter: Immaculatæ Virg. Mariæ Concep. addictiſſimus, quanto in eam flagraret affectu, ore, calamo, corde monſtravit. Obiit in ejus Ædibus Fontis Scarini, pridie Id. Auguſti An. D. MDCCXXIX. ætatis ſuæ 68. Epiſcopatus XIII, Feretrani vero V. Paſtorem optimum luxit Grex Feretranus, Amantiſſimum inſuper parentem, jugiter lugebit Pinna; Lugæ & tu Viator Antiſtitem in Janſeniſtas acerrimum, Sapien. Pruden. Piet. ac Charitate in pauperes inſignem.*

XLIV. Feretranorum tandem Antiſtitum, qui jam ex hac luce migrarunt agmen claudet Frater *Joannes Chryſoſtomus Calvi*, Patria Venetus, Ordinis Prȩdicatorum Alumnus, & ex hac noſtra Beati Jacobi Salomoni Congregatione aſsumptus ad Infulas. Venetiis ortus die 4. Novembris 1681, jam quintumdecimum ȩtatis ſuȩ annum compleverat, cum ſȩculo nuncium remittens, Dominicanum Inſtitutum amplexus eſt, quod probationis elapſo anno, emiſſit in Coneglanenſi Cȩnobio die 2. Aprilis 1698. ſolemnibus votis, eſt profeſsus. Philoſophicis, ac Theologicis doctrinis ſatis imbutus, Lectoris munere, & Prȩdicatoris fungebatur offi-

officio in Valvaſonenſis Congregationis hujus Conventu, cum extemplo Superiorum juſſu ad Orientis Inſulas, quæ Venetæ parent Reipublicæ, tranſmigravit; ibique Argoſtolenſi in Cephalenia Domui noſtrę per annos plures præfuit, Græcis pariter, & Latinis hominibus carus; ut nuperrimus rerum noſtrarum Scriptor teſtatur (at parce nimis) Cl. P. F. Bernardus de Rubeis; quo tempore etiam Inquiſitoris pro toto Peloponeſiaco Regno ſibi demandatum munus geſſit. Corcyram deinde petiit, ubi quadrageſimales Conciones ex Cathedralis Suggeſtu habuit; quod & in Eccleſiis Cephaleniæ, & Zacynthi jam ante præſtiterat, & poſtea jam Epiſcopus renunciatus præſtitit iterum; nec unquam ſine Auditorum plauſu, ac profectu. Item Seminarii Archiepiſcopalis deſignatus Rector Alumnos litteris, & bonis moribus imbuit, Præſuli ipſi a Theologicis conſiliis fuit, & Venetę Claſſis Generalis, aliique Primarii Duces aut conſcientiæ propriæ arbitrum, aut in primis carum Calvium noſtrum habuere. Nec inde abiit ille, cum facta cęteris fuit, ut propriæ incolumitati conſulerent, a Supremo Claſſis Præfecto, recedendi facultas anno 1716, quo immanis Turcharum Gens, cervicibus Chriſtianis minabatur, Arcem illam, nedum Veneti Dominii, verum etiam totius Italiæ propugnaculum, obſidendo, ingenti navium, & militum agmine comparato. Mirum profecto! quot, & quam improbos labores, belli præſertim, & obſidionis tempore, devoraverit inibi Calvius, Conciones habens, Confeſſiones excipiens, Zenodochia perluſtrans, ut militibus cum morte colluctantibus in præſidio eſſet. Fugatis tandem Hoſtibus, & reſtituta Cæli munere, pace, Cephalenas, & Zacynthinas Inſulas dimittere ſtatuit Joannes Vincentius Filippi, eaſque induit anno 1718. annuente Clemente Papa XI. noſter F. Joannes Chryſoſtomus Calvi, die 15. Maii Romæ conſecratus, geſtavitque ad diem uſque 7. Septembris 1729, qua

per

Digitized by Google

per Benedictum XIII. ad Feretranam hanc Sedem tranſlatus fuit ; ut conſtat ex Paſtorali ad Clerum , ipſa ſuæ translationis die, Romæ ſignata . Poſſeſſionem per Procuratorem, ut moris erat, obtinuit die 4. Octobris ejusdem anni ; perſonaliter tamen novæ Diæceſis ingreſſus eſt limen, die tantum 25. Julii ſequentis anni 1730. Vultum ſtatim pecoris ſui cognoſcere geſtiens Vigilantiſſimus Paſtor, aſperrimam illam Regionem circumquaque luſtravit, quod & iterum, & tertio etiam præſtare non deſtitit, licet morbis afflictatus, & Chiragræ, & Podagræ diutinis vinculis alligatus . Præter plurimas, eaſque cedro, & auro dignas Conſtitutiones, quas edidit, quibus aut Clericorum, & maxime Sacerdotum, nec non Monialium honeſtati , aut communi Gregis ſui ſpirituali ſaluti opportune , data qualibet occaſione, conſuluit; Diæceſanam Synodum Pinnę habuit menſe Julio anni 1734, cujus ſaluberrima Decreta typis mandari juſſit . Epiſcopales Ædes , certe anguſtiores, & præ vetuſtate pene labentes propriis ſumptibus reparavit, Ciſternam effodit, ac Solo æquatis, quæ Epiſcopio adhærebant domibus proprio ære coemptis, ex dimidio ampliavit, imo, quod tale dici juremerito poſſit, Palatium Epiſcopale a fundamentis extruxit. Bibliothecam inſuper, copioſa comparata Librorum ſupellectili, inſtituit, quam Capitulo ſuo Feretrano donatione inter vivos conceſſit. Scuta bis mille pro augendis quotidianis Canonicorum diſtributionibus, ſpeciali impetrato ſub die 20. Maii 1745. a Benedicto XIV, dum ſacra Limina viſitaret , Chirographo , relinquere deliberaverat . At inopinata infirmitate , & immatura morte correptus præſtare , quod jamdiu in votis habuerat , minime potuit . Nedum Eccleſias S. Salvatoris in Oppido S. Agathæ , S. Caſſiani prope Maceratam, & S. Anaſtaſii in Valle, quarum cura ad Epiſcopos ſpectat , propinquas Ædes, quas Feretrani Præſules inibi tenent, corruentes reparavit, elegantiores

res reddidit, auxitque; & quas pene inopes reperit, proprio ęre ditavit; verum etiam Virorum, aut Mulierum Sacrarum Cænobium ullum, vel Parochialem Eccleſiam intra Dięceſis ſinum, aut prope terminos, reperire vix erit, cui Epiſcopus Calvius aut vaſa, aut ſacras veſtes, vel aliud, quod in Dei cultum cedat, non aliquando contulerit; iiſque muneribus, cum Deum ipſum teſtem duntaxat vellet, ſignum ullum largitatis ſuæ apponi non patiebatur. Puellis etiam, quæ vel Deo dicari cupiebant, vel honoris jacturam pati poterant, dotem perſæpe miniſtrabat; quinimo cunctis indiſcriminatim Egenis, tum Domo exiens, tum regrediens vice qualibet ſtipem propria manu erogabat; dicere ſolitus, quod id quod ſuum erat illi, etſi importune, petebant; ad nonnullorum vero, quos pudor retinuiſſet, ſubſtentationem, Fidelem Miniſtrum adhibebat. Cum pecuniæ aliquid ab iis, qui menſæ fructibus percipiendis, vel exigendis reditibus præerant, ei deferrebatur, protinus, veluti morę impatiens, ſolutis Domeſticorum, anticipatis licet, ſtipendiis, partem aliam, nec certe exiguam, per Sacerdotem, qui ipſi ab eleemoſinis erat, aut alios ſuę Domus Miniſtros, indigentibus tranſmittebat; nec unquam lętior, quam cum ei vix ad neceſſaria ſupererat, reliquo pauperibus diſtributo, aut in pios uſus converſo. Nec ſegnior caritate, qua pius Pręſul temporalia ſubſidia pauperibus miniſtrabat, ea erat qua commiſſi ſibi Gregis ſpirituali ſaluti intendebat. Conciones, nec raro, ipſe habebat ad Populum, Confeſſiones aliquando excipiebat, Pueris, & Puellis dum Chriſtianis erudimentis imbuebantur ſæpiſſime aderat, & cum Miſſiones per Diæceſim, eo jubente, ſumptuſve miniſtrante, haberemus, promeridianas Catheecheſes ipſe faciebat. Par inſuper charitati erga Proximum, pietas Epiſcopi hujus in Deum. Deiparæ cultui addictiſſimus, eam protractis precibus quotidie exorabat, utque ſtatis diebus
per

per Roſarium devote a populo , ipſo præcinente , ſalutaretur, in cauſa erat. Nedum Natale Domini, verum & ſolemniores Dei Matris Feſti dies, Sanctorumque illorum, quos ſingulares Patronos venerabatur, piis in ſua Cathedrali exercitiis per dies plures , ut prævenirentur, inſtituit. Mortis tandem memor, Tumulum in Pinnenſi Eccleſia ſibi delegerat, luminaria ipſa Feretro circumponenda, Cereos Capitulo, Clero, Populo in ipſius funere diſtribuendos, decennio ante in depoſitum ſervandos tradiderat. Sepulchralem lapidem tumulo ſuo ſuperponendam paraverat cum ſequenti Inſcriptione: *Dilectæ Matri , ſibique Joannes Chryſoſtomus Calvi Venetus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Feretranus , olim Cephaleniæ, & Zacynthi. Anno MDCCXXXVII.* Ex his, aliisque præclaris Antiſtitis Calvi dotibus , quarum teſtes ſunt, cultoreſve fuere, quot probos, honeſtoſque enumerat Monsferetrus Viros , facile cuiquam deducere erit , quantus fuerit luctus ovium , quam enixæ ad Dominum precationes , quam frequens Pinnenſium , Finitimorumque ad Cathedralem concurſus, dum publicæ pro ejus incolumitate haberentur preces. Supremum quippe Numen, cujus judicia perſcrutari non licet, ſatis ſignificaverat, vix elapſis in Feretrano Epiſcopatu annis ſeptemdecim , Calvium licet nec ſenectute, nec morbo , nec laboribus admodum fractum, brevi e ſæculo fore abripiendum. Labente, ſiquidem, menſe Octobri anni 1746. cepit Epiſcopus internis afflictationibus angi , importunis timoribus concuti , inde langueſcere, ſomnum amittere, cibos reſpuere, ut jam ſenſim deficere deprehenderetur. Sacra tamen ad labentem uſque Decembrem quotidie peregit; cum ingraveſcente morbo, ex Medicorum conſilio, Putavium, recuperandæ valetudinis cauſa , ſi Deo placuiſſet, ut omnibus in votis erat, deductus fuit; & interim cum poteſtate Vicarii Apoſtolici ab Urbe miſſus Sebaſtianus Bonajutus. At ſpem omnem Feretranorum ſimul,

& Medicorum artem eluſit mors, quæ Calvium noſtrum die 26. Aprilis anni 1747. corripuit; poſtquam per annos circiter novem ſupra viginti Epiſcopatum geſſiſſet. Satis quidem ad res geſtas, at parum admodum ad Gregis vota. Sepultus jacet Patavii in Eccleſia S. Auguſtini Fratrum Prædicatorum prope Altare S. Vincentii, ut ſequens indicat Epitaphium: *Cineres F. Jo: Chryſoſtomi Calvi Veneti Ord. Prædic. Primum Epiſcopi Zacynthi, & Cephaleniæ, deinde Feretrani. Obiit Patavii V. Kal. Majas MDCCXLVII.* at vivit adhuc in Feretranorum memoria, diuque ſuperſtes erit.

XLIV. Quam ægrotante Præſule Calvio adminiſtraverat, brevi licet admodum tempore, Feretranam Eccleſiam, deſignatus die 3. Martii 1747. Vicarius Apoſtolicus *Sebaſtianus Bonajuti*; ſibi deſponſatam obtinuit Præceſſore e vivis abrepto, & jam habet a die 4. Maii ejusdem anni, qua fuit renunciatus Epiſcopus. Hic eſto in Caſtro Precum Spoletanæ Diæceſeos primam lucem aſpexerit die natus 15. Martii 1704; Venetiis tamen fuit enutritus, humaniſque litteris imbutus, & in Patavina Univerſitate juris utriuſque laurea donatus. Romam inde petiit, ubi aliquandiu in Foro verſatus, cum poſito veluti tyrocinio, optimum legalis peritiæ ſpecimen exhibuiſſet, a Sacra Conſulta Judex, ſeu, ut vocant Poteſtas Podii Mirteti in Sabinis deſignatus fuit, ſtetitque per annos plures. Qua judicii maturitate polleret, quam æqua lance ſibi demandatum munus obiret, quam ſibi apud Romanam Curiam exiſtimationem comparaverit, vel ex eo deduci poteſt, quod Præſules plures Civitatum, ſeu Provinciarum Gubernatores delecti, certatim veluti Bonajutum Miniſtrum expoſcebant. Primo Robertus de Genga Nurciæ Præfectus, dein Montalti, poſtremo Aſculi in Marchia Gubernator; Georgius quoque ab Auria, nunc S. R. E. Cardinalis, cui Aſculi poſt Robertum, demandatum fuerat gubernium; tandem Angelus Loca-
tellus

tellus Gubernator Anconæ Sebaſtianum noſtrum, Eccleſiaſticæ militiæ nondum adſcriptum, Locum, ut ajunt, tenentem habuere; bis quinimo, dum Aſculi Civitas Preſule careret Gubernatore, Vicesgerentis onus laudabiliter ſubiit Bonajutus. Septimum tunc jam completum ſupra trigeſimum ætatis ſuæ annum numerabat, cum Mario Maffejo, Bartholomei Cardinalis Maſſei Epiſcopi Anconitani, Generali Vicario ad Infulas Fulignates promoto, munus quod uſque tunc ille geſſerat, Sebaſtiano Bonajuto, ſacris tunc primum initiato ordinibus, concredere ſtatuit Eminentiſſimus Princeps. Quem vero ad diem uſque 20. Menſis Novembris 1745. vitæ ſuæ poſtremum, Vicarium habuerat, executorem etiam teſtamentarium moriens deſignavit; prætioſa pectorali cruce, & annua ſcutorum quinquaginta ei relicta penſione, inſigne veluti fideliter ſibi præſtiti miniſterii argumentum cunctis perſpicuum. Cauſarum Auditorem habuit eumdem Bonajutum etiam Nicolaus Mancinforti in Anconitana Sede Maſſeii Cardinalis immediatus ſucceſſor, ab ineunte anno 1746, ad diem uſque 3. Martii ſequentis anni, qua ad Feretranam Eccleſiam cum Apoſtolici Vicarii facultate miſſus fuit; ut patet ex Epiſtola Cardinalis Cavalchini S. Epiſcoporum Congregationis Prefecto, eo die data, honorificentiſſimiſque verbis concepta. At brevi admodum, ut præmiſimus, tempore, per circiter menſem nempe, Eccleſiæ illi, ad quam nonniſi ineunte Aprili pervenerat, tanquam Apoſtolicus Vicarius, præfuit; nam vita functo, eo ipſo labente menſe, Epiſcopo noſtro Calvio, die ſtatim 4. Maii 1747. fuit, per Benedictum Papam XIV. deſignatus Feretranus Epiſcopus, quod per Epiſtolam aliam innoteſcit, Clementis Argienvillieres Auditoris Sanctiſſimi die 6. ejusdem menſis ſignatam. Urbem illico petiit, in qua vix integro a deſignatione ſua elapſo menſe, ſcilicet die 4. Junii conſecrationis beneficium obtinuit; indeque nulla mo-

ra ſecedens, Pinnenſem Cathedralem, quam paulo ante dimiſerat die 9. Julii reſalutavit; cujus jam poſſeſſionem per Procuratorem die 11. præcedentis Junii, de more, obtinuerat. Paſtoralis ſuæ ſollicitudinis ſpecimen incunctanter exhibuit factus Epiſcopus, dum paucis ultra bimeſtre ab arrepta poſſeſſione, tranſactis diebus, Diæceſim ſuam viſitare ſtatuit, quod intra triennium præſtitit; imo vix priori viſitatione completa, ſecundam inſtituit. Præterea ad opus Seminarii Clericorum, maximopere per Tridentinum Epiſcopis commendatum animum convertit novus Præſul Bonajutus, quod jam per Prædeceſſores ſuos Pinnæ conſtructum conſpiciebat, redituſve illius fideliſſime, ſub Epiſcopo Calvio adminiſtratos, auctoſve per Joannem Camillum Bicci Canonicum, & Seminarii ejusdem Rectorem, probe jam noverat. At reparationi, amplio-rique extenſioni, qua ſummopere indigebat ædificium illud, loco eodem ſtudere æris nonniſi, & operis diſpendium eſſe, propter Soli inſtabilitatem, & terminorum anguſtias, ſciebat ille, negabat nemo. Hinc novum ſtatuit anno 1749. excitare ſolidiori fundo Seminarium, quod pene ex dimidio confectum audivimus, perficiendumque Deo dante ſperamus. Hæc, quæ in ſibi recens nuptæ Eccleſiæ utilitatem, & commodum uſquenum peregit Sebaſtianus Bonajuti, certa ſunt argumenta plurium, ſi vita, ut optamus, ei comes fuerit, quæ, præſtare non deſinet Feretranæ Eccleſiæ amantiſſimus ſponſus, ſibique commiſſi Gregis vigili Paſtor, de quibus loquentur alii.

F I N I S.

AP-

APPENDIX MONUMENTORUM.

Improbus ſane labor eſſet, nec brevioris temporis profecto diſpendium ſingula per extenſum Monumenta exhibere, quibus in hac qualicunque lucubranda Diſſertatione uſi ſumus. At cum plurima, in magna Conciliorum, aut Bullarum Collectione, ſive apud Ughellium, ſive apud alios in integrum haberi poſſint, digitum ad fontes intendiſſe, quod data qualibet occaſione jam præſtitum eſt, ſatis eſſe putavimus. Hinc ea tantum, & quidem pauciſſima dabimus in hac Appendice, quæ irrito fortaſſe nonniſi ſtudio alibi perquireret Lector.

I.

Bulla Bonifacii Papæ IX, qua Benedictum Epiſcopum Feretranum, Caſtri S. Marini Rectorem conſtituit. Ex Regeſto Bullarum ejuſdem Pontificis ab anno 7. fol. 298.

BOnifacius &c. Ven. Fr. Benedicto Epiſcopo Feretrano Provinciæ noſtrę Romandiolæ Theſaurario ſalutem &c. Cum ſicut accepimus inter nonnullos habitatores Caſtri S. Marini Provinciæ noſtræ Romandiolæ, tuæ Diæceſis ad nos, & Romanam Eccleſiam pleno jure pertinentis, nonnullæ diſſenſiones, & diſcordiæ, humanæ naturæ Inimico procurante, exortæ ſint. Nos cupientes ut Caſtrum ipſum, & Incolæ, & Habitatores ipſi in ſtatu proſpero, & tranquillo Auctore Domino conſerventur; Caſtrum ipſum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, tuo regimini duximus, auctoritate præſentium in ſpiritualibus, & temporalibus committendum; ita tamen quod ſpiritualem jurisdictionem in fulcimenrum duntaxat temporalis jurisdictionis, & non alias in eo valeas exercere; Tibi ipſam Terram reformandi, & inter cunctos Incolas, & Habitatores ipſius Caſtri, invicem diſcordantes, & inimicantes pacem, concordiam, & unitatem iniendi, & faciendi; Contradictores quoslibet, & Rebelles, & quoscunque Statum pacificum ipſius Terræ, & hujuſmodi tibi commiſſum Officium perturbantes, & impedientes, ac alios quomodolibet delinquentes, quoties expedierit, ſpirituali, & temporali diſtrictione, qua convenit, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, & eos ab omnibus homicidiis, & aliis exceſſibus, & delictis quovis modo, & quandocunque per eos commiſſis, etiamſi hæreſis, & læſæ majeſtatis crimina ſaperent; ſi, & prout tibi videbitur, faciendum, abſolvendi penitus, & liberandi, & omnia alia, quæ ad hujuſcemodi Rectoratus officium

ficium de conſuetudine, vel de jure, quomodolibet pertinent, faciendi, gerendi, & exercendi plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, concedimus poteſtatem. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus hujuſmodi Rectoriæ, & Regiminis onus devote ſuſcipiens, ſic illa, juxta datam a Deo tibi prudentiam, ſtudio diligentis ſollicitudinis proſequaris, quod exinde plurimum conſequaris a Domino, & a Nobis dignis commendationum laudibus extollaris. Nos enim omnes Proceſſus, & ſententias, ſive Pænas ſpirituales, & temporales, quos, & quas rite feceris, tuleris, ſeu ſtatueris in Rebelles, ratos habebimus, atque gratos, & eos faciemus uſque ad ſatisfactionem condignam, auctore Domino, inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis generalibus, aut ſpecialibus Univerſitati ipſius Caſtri, aut ejus Incolis, & Habitatoribus, ſeu aliis quibuſvis perſonis, cujuſcunque conditionis, ordinis, vel ſtatus fuerint, ab eadem Sede conceſſis, per quæ hujuſmodi tuæ jurisdictionis executio poſſet quomodolibet impediri; & de quibus quorumque tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Dat. Romæ apud S. Petrum. III. Non. Maii 1398. P. anno 9.

Aliud Ejusdem Pontificis Breve ad ipſos Caſtri S. Marini Incolas datum ſimilis omnino tenoris, jam ex eodem Bullarum Regeſto pagina 299. in integrum, ſuo loco dedimus.

II.

Bulla Martini Papæ V, qua privilegium appellationis, ſicut opptaverant, Sanmarinenſibus concedit. Ex Regeſ. Bullar. ipſius Pontificis.

MArtinus &c. Dilectis Filiis Univerſitati Terræ noſtræ S. Marini Feretranæ Diæceſis, ſalutem &c. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geritis Eccleſiam promeretur, ut petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus, ſavorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod vos, qui hactenus invicem ſub menſura juſtitiæ laudabiliter vixiſtis, pro bono pacis, & concordiæ inter vos de cætero etiam conſervandarum, nec non ad tollendos diuturnos litium anfractus, ac laborum, & expenſarum ſarcinas, & incommoda, deſideratis, quod appellationum cauſæ a primis definitivis, & interlocutoriis ſententiis per veſtros Officiales, & Rectores pro tempore, Capitaneos nuncupatos, latis, & aliis gravaminibus illatis in cauſis profanis eis commiſſis, interpoſitarum, pro tempore duobus probis Viris ad hoc per vos eligendis, audiendæ committantur, & terminentur. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere vobis ſuper

per hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur tranquillitatem, & juſtitiam hujuſmodi inter vos jugiter vigere, intenſis deſideriis affectantes, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis: quod a primis ſententiis hujuſmodi ad duos probos, & idoneos viros per vos, pro tempore, ad hoc eligendos, & deputandos appellare liceat, & ipſe appellationum cauſæ per eosdem ſic electos, & deputatos, ſecundum juris ordinem cognoſci, decidi, & fine debito terminari libere, & licite valeant; quodque ſententiæ, per eos, in cauſis ipſis latæ, eam vim, idque firmitatis robur obtineant, proinde, ac ſi per illum Judicem, ad quem earumdem cauſarum cognitio, de jure, vel conſuetudine pertinent, cognitæ, deciſæ, ac determinatæ fuiſſent, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, de ſpeciali gratia, licentiam impertimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis nec non Decretis, Statutis, & Conſuetudinibus Provinciæ noſtræ Romandiolæ, in qua Terra noſtra S. Marini Feretranæ Diæceſis, exiſtit, & etiam ejusdem Terræ, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud SS. Apoſtolos VI. Id. Junii an. 1426. Pont. 9.

III.

Bulla Pii Papæ II. qua Sanmarinenſibus Caſtra quædam conceſſit.

Pius Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Communi, & Hominibus Terræ S. Marini, Provinciæ noſtræ Romandiolæ Feretranæ Diæceſis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EVidentia Veſtrę fidelitatis, & devotionis indicia per vos Nobis, & Romanę Eccleſię hoc pręſertim magis opportuno tempore, lucidata, & ſpes, quę de vobis in futurum, & propenſioribus ſtudiis oſtendiſtis, nos inducunt, ut in his, quę ad veſtrę Communitatis honorem cedere valeant, Apoſtolicę munificentię dexteram liberaliter extendamus. Sane pro parte veſtra nuper exhibita nobis petitio continebat, quod olim dilec. Filius noſter Nicolaus tit. S. Cecilię Presb. Card. in Provincia noſtra Romandiolę Apoſtolicę Sedis Legatus, Vobis, ut firmiori mente, & animo adverſus Sigiſmundum Pandulphum de Malateſtis bellum iniretis, & in recompenſam periculorum, & laborum, ac expenſarum quas propterea ſubituri eratis, noſtro, & dictę Eccleſię nomine promiſit, quod, Communitati veſtrę daretur in feudum, & Dominium Curia Florentini, & Caſtra Faetani, Mongiardini, & Seravallis cum eorum curiis, & terrenis, & jurisdictionibus, ſive in pede, ut ſunt, ſive per terram, in eventu quod dicta Caſtra caperentur, & in noſtram, & dictæ Eccleſiæ poteſtatem devenirent.

nirent. Cum autem , ſicut eadem petitio ſubjungebat , Vos tanquam Filii devotionis , & obedientiæ ad dictum , Sigiſmundum bellum moveritis , & tanquam hoſtem tractaveritis &c. (*reliqua obtinere non licuit* .) Dat. Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1463. V. Kal. Julii Pontif. V.

IV.

Clemens Papa XII.

Dilect. Fil. N. Julio titulo S. Griſogoni Præsbit. S. R. E. Cardinali Alberono. Dilecte Fili noſter ſalutem , & Apoſtolicam benedictionem . Inter pręcipuas , difficileſque Pontificię providentiæ curas , ea vehementer ſollicitamur , ut in ſubjectis Romanę Sedi Provinciis , perpetua vigeat animorum concordia , & Cives ęquabili jure , nullis obnoxii Potentiorum injuriis , pacifice fruantur. Quod cum jamdiu in noſtra Sanmarinenſium Regione haudquaquam accidat , & ſępius illinc ad nos perveniant męſtiſſimę lamentationum voces , ſeſe a paucis , qui vi , aut aſtu dominari cęteris cupiunt , quotidie vexari , ac propemodum in ſervitutem redigi , eoque rem deveniſſe , ut eorumdem protervitas diutius ferri nequeat, ad eamque refrænandam magni demum tumultus orituri videantur , unde in finitimas Provincias damnum ingens manare poſſet ; ſummis iccirco precibus , jam diu nos orent , atque obteſtentur , ut ad tantum amovendum periculum , & ad ſui tutelam velimus , ſe non amplius ab iis , quibus Prædeceſſorum noſtrorum indulgentia commiſſi fuerant , ſed ab ipſa tantum Apoſtolica Sede , gubernari . Itaque miſerti eam Pontificiæ ditionis partem in hujuſmodi calamitatem, ob civium diſcordias, maleque geſtam Rempublicam incidiſſe , cogitantes propterea boni Principis eſſe mederi, ſuprema auctoritate , ingraveſcentibus malis, extremamque Populorum perniciem pręcavere , animum tandem induximus annuere Sanmarinenſium votis , eorumque Regionem ad nos, Romanoſque Pontifices ſucceſſores noſtros penitus revocare. Quo circa tua freti ſingulari prudentia , notitiaque rerum agendarum , tibi dilecte Fili N negotium iſtud ita gerendum injungimus , ut ſine ſtrepitu, ad Sanmarinenſium fines progreſſus , eorum ſententiam ſedulo perſcruteris, & ſi præcipuam illorum partem in eo perſtare intelligas, ut noſtro ſolum imperio ſubeſſe petant , ſtatim eorumdem oppida , & quidquid publice poſſident, recipias , Legati deinceps jure , per tuos Prefectos illis , moderaturus; data prius , noſtro nomine , fide iiſdem , quibus antea privilegiis eos fruituros , aliiſque inſuper , quę tibi commode addenda eſſe videantur . Quamobrem noſtris hiſce litteris in forma Brevis , omnes tibi facultates concedimus neceſſarias , atque opportunas , ratum habituri , quidquid in hujuſmodi negotio gerendum tibi propoſueris ; atque Apoſtolicam benedictionem tibi dilecte Fili noſter peramanter impartimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 26. Septembris 1739. Pontificatus noſtri anno X.

V. Ut

Digitized by Google

V.

Ut undequaque completa Feretranæ Diœceſis notitia habeatur , neve aliquid , quod jure a Lectoribus deſiderari poſſit videamur omiſiſſe Plebales , ſive Archipræsbiterales ejusdem Eccleſias , nec non Parochiales omnes recenſere in hac Appendice promiſimus . En igitur ipſarum ſeriem , Italico Idiomate , & ordine ipſo quo eam obtinuimus . Plebales ſeu Archipræsbiterales quindecim hac littera P *deſignantur .*

P La Cattedrale di S. Leone della Penna , cui è unita la Pieve di S. Pietro in Meſſa .

S. Criſtoforo della Penna Parochia eſercitata da Padri Agoſtiniani .

Petrella . S. Michiele Arcangelo .
Rocca Pratiffa . S. Donato
Peretto . S. Paterniano .
Scavolo . S. Maria .
S. Agata . S. Agata Collegiata .
Monte Benedetto . SS. Pietro , e Paolo .
S. Donato . S. Donato .
Majano . SS. Pietro , e Paolo .
Ugrigno . S. Criſtoforo .
Torricella . S. Maria .
Perticara . S. Martino .
P. Tornano . S. Ilario .
Serra di Tornano . S. Bartolomeo .
Savignan di Rigo . S. Matteo .
Paderno . S. Appolinare .
P. Monte Gelli . S. Stefano .
Riopetra . S. Maria .
Strigara . S. Pietro .
Vignola . S. Maria .
Pietra dell' Uſo . S. Maria .
Monte Tiffi . S. Leonardo . Abbazia .
Maſſa Manenti . S. Paterniano .
P. Gineſtreto . S. Appolinare .
Monte Bello . S. Pietro .
Uffogliano . S. Carlo .

P. Secchiano . S. Maria .
P. Talamello . S. Pietro .
Sertiano . S. Biagio .
Libiano . S. Bartolomeo .
Maciano . S. Stefano .
P. Scavolino . S. Muſtiola .
Antico . S. Niccolò .
S. Maria di Soanne .
S. Andrea di Soanne .
Cermitoſa . S. Michiele Arcang.
Villa Grande . S. Michiele Arcang.
Monte Cupiolo . S. Marino .
Monte Cerignone . S. Biagio .
S. Maria in Reclauſo ,
e S. Donato , ambe di M. Cerignone .
S. Maria Valcava di Macerata .
S. Vicino di Macerata .
S. Teodoro di Macerata .
P. S. Caſſiano Pieve di Macerata .
Macerata S. Michiele Archangelo .
Bronzo . S. Croce .
Caſtellina . S. Siſto .
Certalto . S. Criſtoforo .
S. Lucia di Macerata .
Mondagono . S. Niccolò .

Digitized by Google

S. Salvator di Piagnano.
S. Andrea di Piagnano.
S. Martino di Piagnano.
Cicognara. S. Arduino.
Cajoletto. S. Marino.
Fraghetto. S. Agata.
Sonatello. S. Daniele.
Schigno. S. Biagio.
P. Caſteldelci. S. Martino.
S. Soffia. S. Soffia.
Gattara. S. Maria.
Baſcio. S. Lorenzo.
Petrella Maſſana. S. Niccolò.
Miratojo. S. Agoſtino.
Monte Liciano. S. Martino.
Saſſo. S. Biagio.
Monte Giardino. S. Lorenzo.
Fiorentino. S. Bartolomeo.
Monte. S. Matteo.
Valle S. Anaſtaſio. S. Anaſtaſio. Abbazia.
P. Corena. S. Maria.
P. Monte Maggio. S. Agata.
Petracuta. S. Pietro.
Monte Fatogno. S. Andrea.
Tavoſano. S. Biagio.
Pietra maura. S. Martino.
S. Severino. S. Severino.
P. S. Leo. S. Maria.
S. Biagio di Majolo.
S. Paolo di Majolo.
Lunano. SS. Coſma, e Damiano.
Pian di Meleto. S. Biagio.
P. Belforte. S. Lorenzo.
Viano. S. Niccolò.
Toriola. S. Pietro.
Lupajolo. S. Criſtoforo.
Cavoletto. S. Andrea.
Mutino, o Monaſtero. S. Maria. Abbazia.
S. Siſto. S. Siſto. Abbazia.
Monte S. Maria. S. Michiel Arcangelo.
Monte Taſſi. S. Giambattiſta.
Savignan di Monte Taſſi. S. Maria.
Monte Grimano. S. Silveſtro.
Ripalta. S. Agata.
Monte Altavelio. S. Maria.
Valditeva. S. Niccolò.
S. Arduino. S. Arduino.
Monte Boagine. S. Giambattiſta.
Pietrarubbia. S. Silveſtro.
Frontino. SS. Pietro, e Paolo.
S. Croce di Frontino.
P. Pieve di Carpegna. S. Giambattiſta.
S. Leo di Carpegna.
S. Pietro di Carpegna.
S. Niccolò di Carpegna.
Aquaviva S. Andrea.
Chieſanova. S. Giambattiſta.
S. Appolinare di Monte Grimano.
S. Donato di Monte Grimano.
Pietra Caula. S. Lorenzo.
Domagnano. S. Michiel Arcang.
P. S. Marino. S. Marino.

VI. *Se-*

Digitized by Google

VI.

Series Conventuum Regularium olim exiſtentium in Monte Feretro; præter jam extantes adhuc, quorum ſervatur memoria in ſcripturis. Talem exhibemus, qualem accepimus.

L' Abbazia de' Monaci Camaldoleſi del Monte della Trinità di S. Agata ſoppreſſa, e fatta Granzia del Moniſtero di Bertinoro.
S. Maria di Pedemonte Convento di Crociferi reſo in Beneficio ſemplice.
S. Domenico di Monte Cerignone de' PP. Domenicani, ora unito alla Parocchia di S. Maria in Reclauſo di detto luogo.
S. Domenico di Caſteldelci de' PP. Domenicani reſo in Beneficio ſemplice.
S. Agoſtino del Saſſo degli Agoſtiniani ora Beneficio ſemplice.
S. Agoſtino di Pian di Meleto, degli Agoſtiniani reſo in Beneficio ſemplice.
S. Agoſtino di Miratojo degli Agoſtiniani ora Parochiale di detto luogo tenuta da Preti.
S. Agoſtino di Baſcio degli Agoſtiniani ora Beneficio ſemplice.
S. Agoſtino di Poggiolo di Talamello degli Agoſtiniani, ora unito al Convento, ch' eſiſte della ſteſſa Religione in Talamello.
S. Agoſtino di S. Donato degli Agoſtiniani, ora unito alla Confraternità del Santiſſimo di detto luogo.
Oſpizio de' Padri Minori Oſſervanti in Monte Grimano, ora ſoppreſſo.

VII.

Eſto Eccleſiam duntaxat, non vero Provinciam Feretranam illuſtrare, pro poſſe, intendentes, ea tantummodo uſquenum adhibuerimus, quæ ſacram, non autem profanam ejusdem Regionis hiſtoriam ſpectant; nihiloſecius haud injucundum Eruditis viris fore ſperamus, nec in crimen nobis a quoquam vertendum, ſi in hac extrema Appendice, inſigne, quod hucuſque delituit, ne pereat tandem, monumentum exhibeamus, quod in maximum tum Feltriæ Gentis, tum Malateſtarum Familiæ, quarum frequens in hac noſtra Lucubratione occurrit mentio, decus non cedere nequit. Epiſtolam, di-

co, Conſolatoriam ad Joannam Baptiſtam de Malateſtis in obitu Viri ſui Guidonis de Monteferetro Urbini Ducis, a Conſtantia Varana ipſorum Filia, ex Piſauro datam; cujus Apographum in Codice Cartaceo, apud Comites de Oliveriis, ſervatum novimus.

Illuſtri Matri, & Dominæ ſuæ Jo: Baptiſtæ de Malateſtis Filia Conſtantia Varrana S. P. D., & optat.

MÆſto, ac lachrymabili caſu conſternatus animus, ac omnes ſenſus mei acerba ex amaritudine labefactati, quidquid in me virium erat, atque nervorum (licet & illæ puſillæ ſemper fuerunt) in hujus Illuſtriſſimi Principis, devotiſſimique Patris, & Domini noſtri, morte in lachrymis, & do ore conſumpſi. Agnoſcebam equidem nulli tantum tenuem ingenioli mei facultatem debere, quantum feliciſſimæ illi memoriæ, qui nt ex litterarum peritia foret egregium, omni cnm induſtria paternalem exhibuit diligentiam, ac me veluti Filiam, ut ſtudium humanitatis ingrederer tam dulciter, ac ſuaviter admonebat. Teſtor Dominum Jeſum, cujus beatiſſima illa anima conſortio delectatur, & indubie fruitur, quod tam inconſolabili ſum mœrore devicta, ut nullatenus Epiſtolam conſcribere valuiſſem. Excidiſſet calamus, torpuiſſet lingua, voxque faucibus hæſiſſet meis, ut non modo ſententiam, ſed nec verbum quidem contexere potuiſſem. Modo vero paululum viribus reſumptis, incomptam hanc lucubratiunculam ſuſpiriis aſſiduis editam, plenam ſingultibos, lachrymis jugibus, fontis inſtar, emanantibus interlitam, ad te mitto; in tua benignitate, ac prudentia ſperans, atque confidens, te potius dilectionem, ac charitatis affectum, quem non facile verbis enuncio, quam verba hæc inepta, ac inornate contexta librare. Malo ſermonis ruſticitatem in medium afferre, meam, quam in obitu tam clariſſimi Principis, Patris, & Domini mei elinguis, & ingratiſſima judicari. Quis eſt enim adeo ab humanitate ſejunctus, ac ferinis moribus educatus, duro, ut ſic loquar, ſtipite natus, qui tam clariſſimum Sydus non ſolum huic Patriæ, ſed toti Italiæ, ac univerſo terrarum Orbi ademptum eſſe non lugeat? O infelicem Patriam tam prudenti, tam juſto, tam firmo gubernaculo deſtituram! O infauſtos Filios, & Filias, ac nos una omnes, communi, ac vigilantiſſimo, & prope divino Parente orbatos! O miſerrimos Cives tam benigno Principe deſolatos! qui tanta prudentia, manſuetudine, atque juſtitia, æquo quoque, ac tranquillo moderamine Subditos reſovebat. Quid dicam? Volvuntur per ora rivuli lachrymarum. Quidquid humanus ſermo poteſt verbis exprimere, quidquid mens valet excogitare, quidquid intellectus poteſt ſapere, pro ſuarum admirandarum virtutum magnitudine, ac incredibili animi celſitudine, comparando ſit vilius. Et licet feliciſſi-

ciſſima illa animâ, quæ de mundo, ac vitiis tam glorioſiſſime triumphavit, ac æterno ſponſo inſeparabiliter copulatur, Angelorum, ac Beatorum Spirituum intereſt Choris, pollutæ, ac balbutientis linguæ præconio, ac laudatione non egeat; tamen pro paternali dilectione, qua vivens mihi fuit ſemper affectus, aſtricta catena non fragili, ſed potius, ut ajunt, adamantina, tam inuſitatas, ac excelſas virtutes ſuas indigno ſilentio pertranſire non valeo; quarum tanta eſt celſitudo, ac affluentiſſima copia, ut longe difficilius, ſummopere, diuque cogitanti mihi videatur ſub Epiſtolari brevitate tam magna perſtringere, quam unde exordiar cogitare. Prætermitto clariſſimam ſui generis Proſapiam, inclyti, ac Illuſtriſſimi, Patris, Avi, Proavorumque ſuorum gloriam, virtutes, atque triumphos, quibus non modo Domus hæc glorioſa Monſteltra illuſtratur, ſed totus iſte Campus Picenus, ac Latium univerſum. Nec iſte, ut multi facere conſuevere, qui Majorum ſuorum virtutibus confidentes, nec eas imitari, nec excedere conati ſunt, ſed iis duntaxat contenti, nihil ipſis addidere. Hic vero ſapientum omnium judicio comprobatur, ſplendidum illud lumen, quod ex illorum probitatibus in Poſteros redundabat, non ſolum eorum imitando veſtigia conſervaſſe, ſed magis, ac magis ab his acceptum, propria virtute, ſcientia, dignitatibus clariſſimum reddidiſſe. Prætereo deinde ſæcularium ſtudia Poematum, Hiſtoriarum, ac Liberalium Artium cognitionem, quibus in ipſo ætatis flore accuratiſſimam operam dedit. Illud longe mihi admirabilius videri ſolet, quod in Principibus rarum eſt, ardentiſſimum Sacrarum ſtudium Scripturarum; nec earum lectione ſolummodo contentus erat, ſed ardenti ſemper divinorum deſiderio concitatus, ulteriorem explanationem, ab iis, qui Theologiam profitentur, in Sacris Ædibus conſtitutus, devotiſſime expectabat; & non ſolum ſubditis, ſed aliis Dominis, inter quos tanquam Gemma fulgebat, religionis, & fidei memorabile, præbebat exemplar. Quis eo religioſior unquam fuit, qui tanta hilaritate Chriſti pauperes ſervos, pro charitatis intuitu coleret, & amaret? Teſtis eſt ordo Beatiſſimi Seraphici, quem Minorum profitentur, quibus vivens eorum Eccleſias fundando, reparando, ac eorum neceſſitatibus ſubveniendo effluentiſſime eleemoſinas erogabat; ac in extremo ſuæ mortis articulo, devotiſſimum Minorum habitum ſumens, præcioſum ſui corporis theſaurum eorum Templo tam humiliter ſepeliendum reliquit: ſuper quo Franciſci religioſa Familia, illud Hieronymi de morte Blaſillæ enunciare poterit: *Plorabo ſanctitatem, miſericordiam, innocentiam, caſtitatem, plorabo omnes pariter, in unius morte, virtutes*. Qualis præterea in eos, qui ſuis expulſi ſedibus, ſemper fuit motus viſceribus Charitatis; teſtes ſunt nonnulli Principum filii, & Filiæ, atque Conſortes, quorum adverſos caſus intuens, pro innata ſibi ab incunabulis pietate, propriis in ædibus liberaliter ſubſtentabat. Taceo cæteros plebejos Pauperes, quos propria ſubſtantia refovebat; ſuper qua quidem ſententia, illud eximii, ac Devotiſſimi Doctoris noſtri Hieronymi venit in mentem: *ſubvenire pauperibus, viſitare languentes, provocare hoſpitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, cæcorum baculus, eſurientium*

tium cibus, ſpes miſerorum, ſolamen languentium, ita in ſingulis virtutibus eminebat, quaſi cæteras non haberet. Quamobrem mea Magnifica, & Dulciſſima Mater, & Domina, omni cum humilitate te ſuppliciter oro, & precationibus, quibus poſſum obſecro, ut tandem vehementi finem dolori; imponas tuo; teque nobis omnibus Filiis, Filiabuſque tuis ſolita virtute, atque animi firmitate reſerves; cum prudentis ſit, ut longe dormiens, me vigilante, melius noſti, adverſa non labefactari Fortunæ procella, humanos caſus æquo animo tollerare, in rebus aſperis a propria non recedere dignitate; præſertim cum eum non mortuum, ſed viventem digniſſime profiteamur. Vivit celebri omnium memoria, & ſuarum admirandarum recordatione virtutum; vivit in clariſſimis Filiis, qui paternæ probitatis hæredes, atque imitatores, tibi vitæ gratiſſimum ſolatium exhibebunt; vivit poſtremo in cœlis, ubi beati ſpiritus laborum ſuorum præmia ſempiterna deguſtant; nec de ejus in Domino obdormitione lugere debemus, quem cum Chriſto coronatum regnare minime dubitamus. Vale ex Piſauro die VII. Martii 1443.

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
Pag. 11,	linea 9	calamitati	calamitate
	13	ſolum	Solum
25	4	ſenger	ſemper
	17	Feretrana	Feretranorum
26	3	Maricano	Marſicano
29	35	quæ	quem
50	14	Dignitatis	Dignitates
51	10	Sacerdote	Sacerdotes
56	18	habeat	habent
61	7	ſolicitus	ſolicitius
62	7	tempore	temporum
63	10	illud	illum
67	12	*multiſque*	*multoſque*
72		Notula illa in margine: *Oratione* 3. altius collocanda erat, nam ad Antonii Melagonelle verba refertur.	
74	27	ærere	ægre
76	8	conveniendi	convivendi
84	6	*pertinentiis*	*pertinentis*
	9	*pertinentis*	*pertinentiis*
86	30	Die 1. Novembris	die 1. Novembris *1666*
91	31	ſacrum	ſacrarum
92	3	*noſtris*	*noſtri*
94	27	& Abbate	ab Abbate
115	17	*Empithentico*	*Emphiteutico*
119	13	Antonius	Antoninus
143	ult.	Libro	citato libro
154	13	clauſis	clauſit
156	22	Caſtris Illicis	Caſtri
160	13	pettit	petiit
164	1	labens	lubens
166	1	Valvaſonenſis	Valvaſonenſi
167	penul.	propinquas	propinquaſque

Leviora, eaque plura, quæ Typographi oſcitantia irrepſere menda facile deprehendet, emendabitque benignus Lector.

Digitized by Google

Nos F. Antonius Bremond Sacr. Theol. Prof., ac totius Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

CUM uti nobis exponitur A. P. F. Joannes Bapt. Contareni Congregationis noſtræ B. Jacobi Salomonii Venetiarum opus cui titulus *de Epiſcopatu Feretrano Diſſertatio* compoſuerit, illudque prælo ſubjicere deſideret, Nos harum ſerie, noſtrique officii auctoritate, quantum in nobis eſt, & ſervatis alias ſervandis, paterne indulgemus, dummodo ab A. R. P. Lect. Ex Vic. Generali F. Fulgentio Cuniliati, & R. P. Lect. F. Joanne Vincentio Patuzzi præfactæ Congregationis luce dignum judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patri, & Filii, & Spiritus ſancti Amen. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſupra Minervam die 31. Martii 1753.

F. Antonius Bremond. Magiſter Ordinis.
Regiſt. fol. 5.

F. Joannes Thomas de Boxadors Mag. Provincialis Terræ Sanctæ & Socius.

EGO infraſcriptus Sacræ Theologiæ Profeſſor, demandante Reverendiſſimo P. F. Antonio Bremond, univerſi Prædicatorum Ordinis Generali Magiſtro, perlegi *Diſſertationem de Epiſcopatu Feretrano*, a R. P. Lectore F. Joanne Baptiſta Contareno Congregationis noſtræ Alumno elucubratam, in qua nedum quidquam offendi Fidei, moribus, aut veritati adverſans, verumetiam, ſuper re non modice obſcura, plurimiſque tricis obvoluta, miram perſpexi rerum diſcretionem, affluentem eruditionem, æquamque prudentis critices lancem, ut propterea dignam cenſuerim, quæ publicam lucem aſpicere mereatur.

Datum in Collegio Santiſs. Roſarii Venetiarum Ordinis Prædicatorum die 3. Maii Anni 1753.

Ego F. Fulgentius Cuniliati Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Profeſſor ita eſſe affirmo.

Ego F. Jo: Vincentius Patuzzi Theologiæ Profeſſor idem affirmo.

NOI

NOI RIFFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Paolo Tommaſo Manuelli* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato *de Epiſcopatu Feretrano Diſſertatio in tres diſtributa partes &c. Studio F. Jo: Baptiſtæ Maria Contareni Ordinis Prædicatorum MS.* Non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Battiſta Paſquali Stampator di Venezia*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 14. Settembre 1753.

(Gio: Emo Proc. Rif.
(
(Alviſe Mocenigo 4°. Cav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 26. al Num. 181.

Gio: Girolamo Zuccato Segret.

Adi 18. Settembre 1753.

Regiſt. nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Secret.

AC1 47C066

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBL
X